clamant, ac ſe ipſos torquent, veluti in incediis; non deſunt furor, & impetus, non ira, & rabies, tamquam in infeſtiſſimo conflictu. Non ſolum ibi divitiarum jactura fit, & familiæ evertuntur; ipſa etiam amittitur conſcientia, omneſque chriſtianæ religionis leges infringuntur; ibi ſedata etiam mente juratur, inauditæ inveniuntur imprecationes, recentes cuduntur blaſphemiæ, & perjuria, ac fraudes in quæſtu ponuntur. *P. le Maine in devotione commoda cap. 7.*

Chriſtiano quid conſiderandum in ludo.

Opus eſt, chriſtianam aliquam cogitationem, ſeriamque conſiderationem prohibere, ne mens evagetur, atque hæc ſecum, vel his ſimilia cogitet: Ludo, & quamvis lucrum facio, tempus tamen amitto; hoc vero tempus bonum eſt, nullo redimendum pretio; bonum, quod neque emitur, neque commodatur, & quamvis omnes mundi theſauros lucrarer, omnibus tamen hiſce theſauris ne unam quidem horam amitterem. Attamen cum hac hora, cujus jacturam paſſus ſum, æternam mihi comparare poteram felicitatem; coronam in cœlo acquirere poteram; æs alienum per crimina conflatum ad extremum uſque quadrantem diſſolvere poteram. Ludo, & fortaſſe divinæ juſtitiæ manus ſublata meo imminet capiti. *Idem.*

De fraudibus, quæ in ludis fiunt.

Illuc ingrediamur, ubi luditur alea pernox, & quid ibi fiat, intueamur; hinc non abſunt diſſimulatio, mendacium, & fraus; quilibet ſimulat, ut fallat adverſarium: ac poſtquam furtum fecit, eodem ferme pacto gaudet, ac ſi optimam nactus eſſet hæreditatem. De reſtitutione ne verbum quidem; aliena bona in manibus decipientis remanent, neque inde egrediuntur. Hic adulterina tala volvit; iſte paginas fictitias ſupponit; duo ſimul conſentiunt, ut tertium fallant, ejuſque ſpoliis diteſcant; hic cum alio conjurat, ut aliquem in fraudem inducat, atque ex hujus detrimento proficiat. Nihil niſi dolus, verſutia, mala fides invenitur. *P. Cordier tomo ſecundo Familiæ Sanctæ.*

De juramentis, atque blaſphemiis, quæ committuntur in ludo.

Quidam non hic morantur, de mendacio ad perjurium tranſeunt; ac ſi eorum juramento adhibes fidem, penes illos ſemper victoria ſtetit, & quamvis aliquando falſi crimine redargui poſſint, pravus habitus non ſinet, quominus Deus teſtis vocetur eorum, quæ affirmant; ſed præcipuum vitiorum omnium caput eſt blaſphemia. Ludus plures ipſe ſolus, quam vinum ſimul, & ira, blaſphemias invenit. Quotidie recentes excogitat, quæ quo magis execrabiles ſunt, eo accidunt jucundiores: meditatas enim dumtaxat impietates amat, ac in illis gloriatur; & aleator cenſet ſe jacturam abunde reparaſſe, cum ſexcentas blaſphemias evomuit. *Idem.*

Qui ludum deperit, quomodo illum relinquat? Si lucratur, putat fortunam in partes ſuas conceſſiſſe numquam receſſuram; ſi perdit, jacturam ſperat ſe reparaturum; ſibi pollicetur, ſortem, quæ ſub initium terga verterat, ſub finem faciem oſtenſuram; atque uno tantum opus eſſe jactu, ut damnum reſarciatur: ſi hodie adverſo pugnatum eſt numine, credit ſe cras eodem ſavente pugnaturum. Hoc pacto labuntur dies alternis victoriis, & damnis, ac citius vitæ, quam ludi advenit finis. O bone Deus! quod vitæ genus! Numquid in hoc homo e mundo egreſſus æternæ felicitatis ſuæ ſpem poteſt conſtituere? Verum ad hæc aleatores ne animum quidem advertunt.

Aleatorum character eorumque ludendi cupiditas.

Conſcriptorum Patrum, vel Principum, ſapientumque virorum conſilia ad graviſſimum aliquod agitandum negotium coacta oculis nihil tam grave, ac ſerium exhibent, ac menſa hominum de magna pecuniæ vi ſimul ludentium. Triſtis ſeveritas in eorum facie riget: ultro citroque implacabiles, atque irreconciliabiles inimici, donec conſeſſus manet: non norunt amplius affinitatis, vel amicitiæ vincula, non genus, non dignitatem: ſola ſors cæcum, & ferox numen eorum concilio præeſt, ac penes illam arbitrium eſt: eam altiſſimo ſilentio, ſummaque colunt attentione, cui alioquin minime pares ſunt, omnibus animi affectibus veluti ſuſpenſis, & huic uni cedentibus. *Auctor recens.*

De aleatoriis academiis.

Non miror publicas adeſſe aleatorum ganeas, tamquam totidem inſidias hominum avaritiæ poſitas, tamquam voragines, in quas privatorum decidit pecunia non reverſura, tamquam horrentes ſcopulos, in quos aleatores alliſi pereunt, & unde egrediuntur emiſſarii, qui cognoſcant quinam ad littus appulit pecunia ex recenti præda collecta; quiſnam judicio victor deceſſit & ingentem auri vim retulit; quis inſignem ex lucro quæſtum reportavit; quis filius familias nuper locupletem adiit hæreditatem.

Fallere indignum profecto, ac turpe negotium eſt, ſed vetus, vulgatum, cognitum, omnibuſque temporibus commune his hominibus, quos rapaces aleatores appello. Illud vero miror, adeſſe, qui neſciat, quod has ingredi domos, ac ſubſtantiæ ſuæ jacturam facere idem eſt, & quod tot inveniantur mortales ita omni ſenſu carentes, quot ſatis ſunt, ut illis abunde ad victum ſufficiant. *Idem.*

Vituperabile eſt magnas pecunias ludo committere.

Sexcenti ludo pereunt, ac frigide dicunt, ſe facere non poſſe, quo minus ludant: quænam excuſatio! Ullane licet violentia, licet turpis cupiditas eſt, quæ hoc ipſum dicere non poſſit? Numquid excuſari poteſt, qui ait ſe temperare non poſſe, quominus ſuffuretur, latrocinetur? Ludus terribilis, jugis, ſine modo, ſine fine, ubi nil minus ſpectatur quam adverſarii clades, ubi lucri deſiderium ad cæcitatem adducit, ubi damnum acceptum ad deſperationem adigit, ubi avaritia conſumit; ubi aleæ, talorum jactui, folioque luſorio propria & filiorum, necnon familiæ totius fortuna committitur, numquid res eſt, quæ licere poſſit, & qua nemo valeat abſtinere? Nonne multo major ſibimet inferenda vis eſt, cum ludo ad omnimodum exitium actus veſtimentis quoque, ac eſca privatur aleator, neque, unde victum familiæ ſuppeditet, habet? *Idem.*

Citra graviſſimam noxam ducine vita poteſt, quæ nos in eum ſtatum adducat, ubi perfungi minime liceat officiis conditioni, ſtatuique noſtro, & chriſtiani hominis qualitati, quam gerimus, inhærentibus? Numquid nimius ludi, ac ſolatiorum amor nos huc impellit? Judex, qui ſolatia deperit, numquid laborem fugiet? Numquid illis vacabit ſtudiis, quæ ſunt neceſſaria ad acquirendam doctrinam, ſine qua ſuo munere perfungi nequit, ideoque nec in illo immorari? Numquid omnem adhibebit curam, qua opus eſt, ut impeditius negotium aliquod explicet, ac illud in cute cognoſcat? Eccleſiaſticus, Paſtor, qui animum ſuum relaxare jugiter cupit, eumne zelum habebit, quo carere non poteſt, quin miniſterii ſui ſe præbeat prævaricatorem? Mulier, quæ id unum cogitat, quomodo ſe ipſam recreet, poteritne omnes ſuſcipere curas, quæ neceſſariæ ſunt, ut domeſticæ curæ, filiorum educationi, moribuſque ancillarum invigilet? Hæc omnia nonne continentur in eſſentialibus chriſtiani hominis officiis? Et ſi ſolatiorum amor prohibet, ne illis rite perfungamur, nonne in eum nos ſtatum adducit, ubi nos nequaquam ſalvare poſſimus? *P. Nepveu in conſiderationibus ſuis, tom. 3.*

Unde oriatur tantus hic amor ludi.

Ludus proprie loquendo naturalis affectus non eſt, ſed inventus, & ab hominum ingenio, induſtriaque profectus. Hic tamen, non ſecus ac cæteri, ſuam habet in corde hominis originem, & ludi affectum peculiarem gignit generalis voluptatum affectio, quæ pro ingeniorum, ac temperamentorum varietate differt. Omnes homines ſecretam habent ſeſe reficiendi cupiditatem, qua trahuntur ad ea, quæ magis ſingulorum ingenio accommodantur; ita alii ludum, alii venatum, alii ſcientias, alii diligunt artes; & ſecreta hæc affectio, quæ voluptatem ciet, tantum movet eruditum virum, qui litteras amat, quantum alium quemvis, qui ludo oblectatur. Hinc arguo, affectiones omnes, quas homines invexiſſe videntur, in ipſo hominis corde, quod ſuapte natura fertur ad voluptatem, originem ſuam invenire. *Ex Auctore Italo.*

Ludus in ſe omnium ſtatuum colligit mala.

Sanctus Cyprianus, vel quicumque auctor eſt egregii tractatus illius, qui inter Patris hujus opera circumfertur, mihi ſententiam ſuggerit integræ concioni parem; videlicet hoc eſſe dæmonis inventum, qui in ludo ſtatuum omnium mala, & vitia colligit. Hæc mercatura eſt; non enim deſunt, qui inde ſibi victum comparent, cum non alios reditus habeant præter ea, quæ ludo lucrantur; ideoque ibi eædem fraudes, doli, arteſque videntur. Lis eſt, ubi agitur, ex utra parte ſtet ratio: utrobique cauſa peragitur, judicatur, excutitur; utriuſque partis rationes, ac teſtes audiuntur. Prælium eſt, atque certamen, ubi de victoria decernitur, quæ ſæpe funeſta eſt, atque cruenta. *Idem.*

Eſto, prima qualitas, quæ nunc in aleatore perquiritur, ſit animi tranquillitas; eſto, plurimi hanc laudem promeriti ſunt, quod ſeſe ultro citroque evertere noverint ſumma cum honeſtate, quin in queſtus erumpant. Tu, qui pium hoc tranquillitatis animi donum poſſides, fatere anxietatem, atque mœrorem, quem tua tibi affert avaritia, quam ſanctus Cyprianus *crimen ignobile* appellat. Lucrum, quod avarus inſtitor quærit, lucrum eſt labori, rationi, ac juſtitiæ innixum; ſed lucrum aleatoris turpi innititur libidini, & avaro furori, qui in reliquo vitæ curſu ſexcentas gignit acerbitates. *Ex manuſcripto ſermone Patris Ruæi de ludo.*

Vos, quibus familiarum cura gerenda eſt, quam uberem peccatorum fontem filiis veſtris aperitis, non abſimillimum illi, de quo Petrus Bleſenſis loquitur: *Cujus pueritiam pater aleæ dedicavit*, quorum primi adoleſcentiæ anni, parentum exemplo, omnibus ludis, aleæque myſteriis initiantur, qui omnes eorum leges, omnes etiam artes didicerunt, antequam prima religionis rudimenta cognoverint; & quibus in animo inſculptus eſt lucri amor, antequam ſciant ſibi & animam eſſe, quam amittere poſſunt, & paradiſum, quem acquirere debent. Quænam hinc licentiæ cauſa præbetur ſervis; quodnam ſcandalum domeſticis? *Idem.*

De Aleatoribus.

Luſoria ſalia, & ludi pro illis mulieribus ſunt, quæ voluptatem ſexus ſui officiis, ac decori anteferunt; pro illis, quæ in eo meritum ſuum conſtituunt, ſi ultra privatas domus ſuæ curas ſe attollant; hoc eſt ſi domum in graviſſimam calamitatem, ac egeſtatem dejiciant; pro matribus illis, quæ filiabus ſuis præter hæreditatis partem hoc etiam veluti præclarum dotis additamentum conferunt, hæreditarium videlicet illius diſſipandæ ſtudium; pro mulieribus illis, quibus cum deſit, quomodo oculis placeant, putant in ſæculo, & ludi amore ſe nactas eſſe modum circum ſe retinendi mortales, ultra rugas etiam, & uſque ad mortem. Pro his ludi ſunt, ac ſalia luſoria; cura vero, labor, induſtria, & bona opera ſunt pro forti muliere, de ſuo officio ſollicita. *Idem.*

Ludentium hypotipoſis.

Ingredere hos cœtus, ubi ſtatis horis luditur, & unde quater, vel quinquies etiam ad ludendum aſſidetur; ubi menſæ, menſariique nomina totidem ſunt avaritiæ characteres. Omnes ibi amici ſunt, vide tamen quid fiat. Dimidium lucri ardore, & ſpe commovetur, dimidium vero alterum damni timore, ac dolore conficitur. Cœtus eſt, ubi amor pecuniæ ſimul omnes cordis affectiones accendit, & extinguit, ubi id quæritur unum, quomodo amicus bonis omnibus exuatur, vel quomodo ſe ipſum exuat; ubi nullo in diſcrimine habetur periculum, atque naufragium, dummodo amicus eo ſubmergatur. Vide ergo fallaces hos amicos alterum in alterius excidium intentos; animo tibi finge imaginem eorum pertinaciæ, attentionis, anxietatis, impatientiæ, agitationis, furoris. Hanc *rabioſam amicitiam* S. Cyprianus appellat. *Idem.*

Duplex in ludo committitur injuſtitia.

Injuſtitia duplex habet in ludis officium pro duplici bonorum genere, quæ ibi inveniuntur. Bonum, quod ipſi objicimus, bonum, quod ibi quærimus. Bonum, quod ipſi exponimus, legitime noſtrum eſſe debet, ut illud aleæ ſubjicere valeamus; hæc prima eſt ratio juſtitiæ: bonum, quod ibi quærimus, legitime in noſtrum migrare debet dominium, ut illud lucremur; hæc ratio altera eſt. Primum illud ludi materiam conſtituit, quod videlicet noſtra ſit pecunia; alterum ludi modum facit, quod videlicet ſine fraude æs alienum lucremur: quidquid contra duplex hoc accidit officium, fit contra juſtitiam, & ludum in crimen convertit.

Tuta vos ludere putatis conſcientia, cum æs, quod ſorti objicitis, veſtrum eſt. Verum tu paterfamilias numquid rationem poſuiſti cum filiis tuis? uxor cum viro? tu nepos cum creditoribus tuis? tu dives cum egenis? tu eccleſiaſtice, cum aris, & Deo? Quot vobis obeunda ſunt, antequam per jus, & fas aleæ vacare poſſitis, & dicere, pecunia hæc, quam periculo objicio, mea eſt: dicitis tamen, &c. *Idem.*

Ludus majores parit jacturas, & detrimenta, quã lites.

Quam magis funeſtum eſt familiæ tuæ hoc deteſtabili aleæ damnum, quam adverſus litis alicujus exitus? Quam majorem tibi injuſtitiam totus inferre poteſt forus ea, quam tibimet ipſi infert, S. Cyprianus inquit: *Patrimonium ſine ulla for contentione amittunt.* Quamprimum litem hanc, & forenſia relinque jurgia, ſed filiis ſerva ea, quæ per ludum amittis: rationaria, autographa, ſingraphaſque flammis adjudica, dummodo ſimul luſoria quoque folia comburas. Filii, & familia tua ad paupertatem redigentur, non quod malos habueris cauſidicos, iniquoſque judices, ſed quod illi aleatores, diſſipatoreſque parentes habuerunt. *Idem.*

Qui ære alieno obſtrictus eſt non debet ludo objicere debitam creditoribus pecuniam.

At enim nullam habes familiam, omni munere, & cura vacas; verum ære alieno obſtrictus es? hoc autem tibi grave non eſt? Mirum ſane! Tota urbs, mercatores, artifices, domeſtici pro privatis neceſſitatibus adlaborant; hic autem pretium nemini perſolvet, ac interim ſibi perſuadebit, bonum, quod ludo committit, eſſe ſuum? Heu! quomodo ſuum eſſe poteſt? Magnificæ, quibus utitur, veſtes illius non ſunt, ſuppellex non eſt illius, ſed eorum, qui ut illi ſuas merces credant, ſibi vim faciunt, atque incommodum patiuntur. Numquam eorum injuſtitiam intelligam, qui coram creditoribus ſuis egeni, & miſeri ſepoſitam ſemper habent pecuniam, ut ludant, ſacram pecuniam, cujus œconomus eſt ſola voluptas, & quam graviſſima quælibet neceſſitas non auderet attingere. Si vel minimus tibi conſcientiæ ſupereſt ſenſus, audeſne peccata tua confiteri, quin hæc duo ſimul conjungas: plurimum debeo, & plurimum aleæ committo, quod ſi hac ſinceritate facis, inveniſne confeſſarium vel ita rudem, indoctumque, vel ita infirmum, qui abſolutionem non deneget?... At neque alieno ære obſtrictus es, inquis, neque aliena poſſides bona: ſed tertio loco numquid pauperum bona non habes? Nullo habes in diſcrimine charitatis neceſſitatem? Quod ludo exponis, vel tibi ſuperfluum eſt, vel neceſſarium. Si neceſſarium num ſanæ mentis es, qui te ipſum ludo exuas? ſin autem ſuperfluum, num obſtruis aures voci Dei, cum non intelligas, quid pauperibus debeas, & ſuperfluum divitiis divina providentia miſerorum victui deſtinatum fuiſſe? Frequentiſſime quæritis, quid ſit ſuperfluum, quod eleemoſynæ materia vocatur; hoc illa pecunia eſt, quam ludo committitis; illa, quæ plenis egreditur manibus, cum aleæ abjicienda eſt, & quæ tanto labore egreditur, cum eſt Deo devovenda. Ut enim dicam, quod ſentio, mihi perſuadere non poſſum, divitem, vel quicumque ille ſit, coram Deo nocentem non eſſe, qui majorem pecuniæ vim ludo exponat, quam pauperibus eroget, vel in pietatis opera impendat. Huic enim invictæ innitor rationi; quoniam eleemoſynæ, ac pecunia ludo committenda ex eodem fonte haurienda ſunt, hoc eſt ex ſuperfluo, cur audes contendere diviſionem hanc ſaltem ex æquo inſtituendam non eſſe?... Qui aliter facit, hic magis eſt aleator, quam Chriſtianus. Heu frater! idem S. Cyprianus ait: *Eſto potius non aleator, ſed Chriſtianus.* Hanc agendi rationem immuta, ac tibi cordi ſit magis chriſtiana religio, quam alea. *Idem.*

De eccleſiaſticis ludentibus.

Quænam eſſe debet ſacrorum bonorum diſtributio, Dominici Altaris miniſtri! Domeſtici illius qui menſæ ejuſdem eſca nutrimini; numquid hoc vobis præ manibus bonum dedit, ut ad luſoriam menſam illud afferretis? Horribile hujus temporis ſcandalum! videre hanc in JESU CHRISTI miniſtris licentiam, videre manus divinis ſacratas myſteriis tala volvere, ac luſoria folia miſcere... Conſuetudo, habitus, cupiditas, quæ radices altius jecit; ſed eccleſiaſticorum bonorum in hunc uſum profuſio, quonam pacto ſcandali, inhumanitatis, impiæque prophanationis nomine abſolvatur? Chriſti pauperes, quid hac de re dicitis? Sacræ aræ! Dei viventis templa, quæ adeo frequenter neglecta eſtis .... Eheu! Stomachum nobis movet eorum militum impietas, qui ſuper JESU CHRISTI tunicam prope crucem ſortem miſerunt, neque illorum nos moveat, qui eccleſiaſticis aucti beneficiis, qui JESU CHRISTI tunica induti, crucifixi bonis, ac ſpoliis ornati hæc prædæ objiciunt? Ubi ſunt Canones, ubi ſacroſanctæ Tridentinæ Synodi ſuſpenſiones, atque anathema? *Idem.*

Ludus abſorbet omnia.

Ludus ignis inſtar abſumit omnia; primum quidem armentum devorat, mox ad margaritas, lapilloſque, & pretioſam ſupellectilem migrat; tabulæ, ſpecula, veſtes, periſtromata illius effugere aviditatem non poſſunt. Inde equi, currus, ſervi, tandem ædes, agri, redditus, & hæreditates. Experientia hæc omnia ſatis probantur. Quot familias ludo deſolatas videmus? Quot pomos everſas? Crudelis cupiditas, quam in mundo tyrannidem, & inhumanitatem exerces! Efficis, ut homo nihil intentatum, & inauſum relinquat furori ſuo ſatisfacturus, atque ad incitas omnino ſe redigat, quin vel domus ſuæ conſulat neceſſitatem, vel filiorum ſuorum lacrymas audiat, atque ſuſpiria. In Chriſtianiſmo illud mihi uberrimis deflendum lacrymis videtur, quod tam magnæ pecuniæ ludo committuntur, cum interim pauperi negetur, unde nudos tegat artus, ac famem relevet. *Ex Auctore recenti.*

Solatia alicui rei eſſe debent utilia.

Numquid ergo filii ſæculi in vita ſua ſemper futuri ſunt præ filiis lucis ſapientiores? Litteratus non ea quærit ſolatia, quæ miles; qui caſtra ſequitur ſuos habet ludos ab illis diverſos, quibus vir Muſis deditus vacat, & uterque ex ſolatiis ſuis aliquem fructum contendit percipere. Cur non eumdem & Chri-

Chriſtiani zelum habeant, & non credant ſe jucunde tempus traducere, niſi illius faciant jacturam? Liber hic amatoriis fabellis diffluens tibi, o mulier, affert ſolatium: at hoccine eſt ſolatium chriſtiana matrona dignum? Ullum ne inde ad ſanctificationem tuam fructum haurire vales? Societas tibi perplacet, nec ego quidem æterna ſolitudine damnare te vellem; verum cum ſanctis perſonis junge ſocietatem, & colloquia, quæ cum illis habitura es, in te perfectionis excitent deſiderium. *P. de la Colombiere in conſiderationibus ſuis.*

Mala, quæ ludus in familiis parit.

Neſcio, utrum animum advertiſtis umquam ad ea mala, quæ ludus filiis veſtris poteſt adferre: optarem equidem, ne ipſi eſſetis, vel ſaltem eſſe poſſetis aliquando rei interitus animarum ipſorum, quæ judicii die procul dubio inſurgent in vos: etenim horum alterutrum accidit, vel dum luditis, illos relinquitis, vos autem præſertim, o mulieres, filias veſtras; vel ſi vobiſcum illas adducitis, quod illis præbetis exemplum? Si illas relinquitis, in quæ crimina illas labi poſſe putatis, quæ ſi labantur, putatiſne vobis nullam coram Deo reddendam eſſe rationem? Non video equidem, quomodo hanc effugere valeatis, non ſecus ac Dei maledictum contra eos, qui illis ſcandalum afferunt . . . . Funeſti horum ludorum effectus ad ſervos etiam migrant, quorum ſalutem negligitis, dum ludo vacatis, nihil ſolliciti, utrum tunc Sathanas ſua artes exerat; & neſcio, utrum Deus vobis imputabit inhoneſta verba, ebrietates, aliaſque impudicitias, quibus ſe mancipant, vobis ludentibus: re enim vera vos quodammodo horum malorum cauſa eſtis; ſibi enim perſuadent hilariter tempus ſuum eſſe traducendum, cum interim vos veſtrum adeo belle impendatis. *Ex auctore recenti.*

Dæmon vulgo nos ad ludum excitat.

S. Chryſoſtomus ait, non Deum proprie, ſed Dæmonem efficere, ut ad ludendum excitemur; hic pluribus ad id artibus utitur; præſertim vero ſuperbia, avaritia, inertia. Superbia efficit, ut ſemper magnam auri vim ludo exponere velitis cum non pauperum tantum, verum etiam familiæ veſtræ detrimento. Efficit avaritia, ut ſemper lucrari velitis non cum proximi tantum, verum etiam conſcientiæ veſtræ præjudicio. Inertia præſtat, ut ſemper in hac vitæ ratione perſeverare velitis. Unum horum ſcelerum vos perdere poteſt. *Idem.*

Periculoſum eſt cum alterius ſexus perſonis ludere.

Quænam licentiæ occaſio, Mulieres, vobis jugiter cum viris colludentibus, nonnumquam etiam commiſſis capitibus, qui oculis ſemper in vos intentis, ac opportune blandas voces proferentes ſinunt ſibi ludo pecuniam auferri, ut vos perdant. Neſcio, quænam tunc ſint cogitationes veſtræ, ſed de Deo illas eſſe mihi perſuadere non poſſum. Heu! quam periculoſæ ſunt hujuſmodi occaſiones! & quidquid dicatis, nequaquam innocentes eſtis coram Deo voſmet huic periculo objicientes. Noſtis, quo pacto paſſim cum adoleſcentulis ludatur; quantula cum illis lucrandi cupiditas; quot cum aliis injuſte fiant ut penes illas victoria ſtet: parentes hoc vident, neque erubeſcunt. Oportet ſane illos, ubi de honore agitur, cœcos eſſe, vel omni prorſus ſenſu carere. Non loquor de affectibus, qui ſæpe propter hanc in ludo indulgentiam ſuboriuntur; & qui aliquando poſtmodum familias dedecore afficientes, ludo eodem aluntur. *Idem.*

De ludo generatim.

Ludus voluptas eſt, quæ, ſi in ſe conſideretur, culpa vacare poteſt; at ſi illum aliquis ſibi in occupationem vertit, quod plurimis accidit; ſi in eo nimium impenditur temporis; ſi illum nimio conſectamur effectu; ſi affectus hic efficit, ut noſtra negligamus officia; ſi in illo nimis magna pecuniæ vis periclitatur; quis ambigit, quominus alea ſit cum ſcelere conjuncta? Ex quo ludus migrat in affectum, vix dignoſci poteſt, quo uſque legitimæ voluptatis fines protendantur? Verum dignoſcatur, numquid minus arduum eſt in eo gradu conſiſtere, ac in ipſo margine immorari? *Idem.*

De ludorum origine.

Luſoria folia, ac talis primis orbis conditi ſæculis in more non erant poſita; neque alii ludi, quorum arbitrium penes fortunam eſt; minus erant ignoti temporibus illis felicibus, atque innocentibus. Homines lucta, pedum celeritate, aliiſque certabant ludis, quæ non minus ad corporis agilitatem, dexteritatem, ac robur, quam ad mentis oblectationem conferebant: pretia quoque nomen hoc non merebantur, niſi propter gloriam illis victoriæ inſignibus inhærentem; quippe ex oleæ, vel lauri frondibus, vel florum corolla conſtabant; ut competitores ad jucunda illa certamina ſola honoris æmulatione excitarentur, & avaritia nihil de eorum, qui vicerant, gloria imminueret, & ne eorum, qui victi fuerant, ignominiæ damnum adjicerent. Sed ambitio, crudelitas, avaritia paulatim in hujuſmodi ſolatia obrepſere. *P. Heliodorus Pariſienſis Capuccinus: ſermone* 11. *de voluptatibus.*

Cur ludi permiſſi fuerint.

Ethnici quoque nos docent, ludos ideo permiſſos eſſe, ut ſpiritus defeſſus recreetur, atque reficiatur a ſeria mentis applicatione in ſtudiis, domeſticis, publiciſque curis, mercatura, artibus, jugis enim attentio fatigat, proſternit, requiem capere cogit; & corpus laboris diuturnitate exhauſtum non poteſt amplius menti ſuggerere ſubſidia ad laborem perferendum neceſſaria; & ſolatium requiri videtur ad diſſipatas vires reparandas, ad auferendum ſpiritui malorum ſuorum adſpectum, ad inducendam illi exantlatorum laborum oblivionem; ita ut ad conſueta revertatur officia, quaſi illorum oblitus, & corpus ipſum par ſit, operæ, quam debet, præſtandæ. Artium, commercii, negotiorum, ſtudiorum, militiæ maxime intereſt, ut publicæ, privatæque perſonæ hoc capiant ſolatium, & nihil magni in mundo perfici ferme poſſet, niſi honeſta ſolatia repararent vires, quæ neceſſariæ ſunt, ut maximi momenti res ad perfectionem adducantur. *Idem.*

Quam attentionem ludus requirat.

Qui ingentem auri vim ludo objiciunt, idque crebro faciunt, diffiteri nequeunt, ludum maxime ſerium negotium, nec minimi momenti occupationem fieri. Nulla eſt lectio, lis nulla, quæ magis hominis occupet attentionem, quam cura luſorium aliquod folium rejiciendi, vel adnitendi, ut alteri proſpera arrideat fortuna, teſſeram aliquam movendi, proferendi, retrahendi, inſignem adverſario ictum inferendi, atque ab illius inſidiis ſibimet quam diligentiſſime præcavendi. Hæc autem mentis attentio tanta eſt, ut aleator neque potus, neque cibi meminerit, neque vel oculos habeat, vel aures, vel mentem, ut quid ibi fit, videat, & quid prope ipſum dicitur, audiat. *Idem.*

Varii ludentium affectus.

Affectus non minus cor aleatoris agitant, quam ludus illius occupet mentem: omnes alearum, talorumque motus movent, atque perturbant animam eorum, qui inſignem ludo exponunt pecuniæ ſummam. Adverſarius teſſeras jacit, eique ſenio, vel jactus venereus victoriam pollicetur; timor, triſtitia, deſperatio animum pervadunt illius, contra quem ludit. Sin autem medius damnoſum inter, auſpicatumque jactum accidit illi, aleator ipſe ſatis explicare non poteſt, utrum ſpem ſuperet metus, curam lætitia, atque gaudium triſtitia, ac deſperatione ſuperentur. Quod autem gaudio perfunditur, ſi adverſario damnoſi ſemper ſubſiliant canes; ſi felicibus ipſe utatur intervallis, ut jacturam, quam paſſus eſt, valeat reparare, qua voluptate perfunditur; & hic ab uno ad alterum fortunæ ſeu adverſæ, ſeu proſperæ extremum, quantam in corde illius parit agitationem. Illud vero magis dolendum eſt, quod cum metus, dolor, deſiderium aliquando ſpem cieant, homo timet, ne in æternum cariturus ſit iis, quorum jacturam paſſus eſt: ea reparare ſummo cum ardore deſiderat; ſibi perſuadere non poteſt futurum, ut infortunium uſque ipſum perſequatur, ac adverſa fortuna pro ipſo ſuam amittat mobilitatem. *Idem.*

Infelices eventus ludi.

Ludi effectus nonniſi miſeri eſſe poſſunt! quæcumque te ſpes alliciat, quæcumque tibi arrideat proſperitas, portentum eſt homo alea locupletatus. Fortunæ inconſtantia, ac rei familiaris negligentia non ſinunt aleatorem bonis ſuis frui . . . . Verum eſto quodcumque lubet; cum illo conjuret fortuna. Aleatores, id quod inſigne lucrum putatis, erit domorum veſtrarum excidium, veſtrarumque fortunarum everſio. Hoc aliena didiciſtis experientia; noſtis eos, cum quibus ludentes magnam hanc argenti, aurique vim eſtis lucrati, nullam familiæ ſuæ curam gerere; noſtis illos eo uſque redigi, ut agros, & avita prædia, domos, & ipſa etiam venumdent officia; noſtis, eorum filios, creditores, atque domeſticos paupertatis, & deſperationis victimas fieri; & poſt graviſſima aleæ damna maxima ſequi flagitia. Hæ veritates non minus aleatoribus exploratæ ſunt, quam certe. *Idem P. Heliodorus Capuccinus.*

Non propter ſolatium, ſed propter lucrū ut plurimum luditur.

Liquet nullum ex ludo capi ſolatium, cum ludenti adjacet damnum; & præter corporis, mentiſque labores inde nonniſi cum mœrore, deſperatione, graviſſimis ſollicitudinibus, & impatientia agitaris rationem excogitaturus, quæ non ſtatim animo occurrit, qua acceptam reparare valeas jacturam. Hoc ſatis eſt, ut intelligas te non ludere, ut ſolatium, ſed lucrum percipias; te non animi ſolatium, ſed ſordidæ cupiditatis complementum perquirere. Cum vero lucraris, lætitiam tuam diſſimulare non vales; frons tua, oculi, geſto cordis tui hilaritatem

tatem

tatem enuntiant; atque hac in re tibi nihil eſſe charitatis oſtendis; quandoquidem ob ea lætaris, quæ proximum tuum ad deſperationem adigit, & quæ tot mortales miſeros efficiunt. Quantumvis dicas te ob lucrum tuum, non autem ob alienum interitum, damnumque lætari, lucrum tuum effectus eſt alieni infortunii, & interitus: bonum hoc tuum eſſe non poteſt, quin eſſe ceſſet alienum. *Idem.*

De ſcandalis, quæ in ludo præbentur.

Fieri vix poteſt, quo minus omnia furentis hominis vitia in ludo emicent. Cupiditates illum adeo inconditis motibus agitant, ut temperare nequeat, quo minus, quod in corde latet, mortalium omnium oculis prodeat. Inania verba gaudenti, atque ſperanti elabuntur; metuenti mendacia, atque perjuria; blaſphemia dolenti, ac deſperanti. Impetus hujuſmodi omnia cordis latibula detegunt: avaritia, ira, impietas ſeſe citra ullam verecundiam proferunt; & hæc peccatorum multitudo non minorem Deo injuriam, quam hominibus ſcandalum adfert. *Idem.*

Non ludendum cum eo, qui ludens iraſcitur.

Poteſt aliquis repente ira excandeſcere ludens; cum te non latet, illum in iracundia ſua nequaquam perſiſtere, criminis illius particeps non es; neque enim illud prævidiſti, neque ipſe aliquid contuliſti pertinacia tua, ut dejeraret, ac blaſphemias evomeret. Verum ubi ſcis, aliquem vulgo iracundia efferveſcere, cum tibi compertum, atque exploratum eſt, illum numquam fere luſoriæ aſſidere menſæ, quin juret, atque in blaſphemia erumpat, peccatorum ejus ſis particeps, non ſolum ubi cum illo jurgaris, quod ſi umquam faciendum leniter eſt, expectandum eſt, donec furor ejus deferbuerit; verum etiam te illorum participem facis, ſi cum eodem ludere perſeveras; niſi antea illum moderatiorem factum fuiſſe, ac ſui ipſius magis compotem eſſe cognoveris. *Idem.*

Calvini ſenſus de alea.

Quamquam aleæ, teſſeræque, Calvinus ipſe inquit, ſuperſtitionem minime ſapiant, ſunt tamen plurimorum ſcelerum inſtrumenta, ac ſæpe plurima pariunt mala, & pericula. Illas tamen non omnino damnarem, niſi in pravum uſum adhiberentur. Sed quis non abutitur illis? Homines adeo violentum ludendi habitum contrahunt, ut quodam veluti faſcino illecti nonniſi maxima cum difficultate valeant abſtinere. Inde ſexcenta oriuntur mala; juratur, fallitur, in iracundiam erumpitur, familiæ bona perduntur. Nulla habetur ratio; religioni nemo ſibi vertit Deum laceſſere, dummodo lucrum feratur: quamobrem utilius eſſet, ut ab hujuſmodi ludis pro virili abhorreremus, vel ut dicam melius, ut omnino igni & aqua illi interdiceremus. Hæc docet Hæreticus Ep. ad 20. ſcripta inter diverſ. art. *Thiers in tractatu de ludis cap.* 16.

Ludus Chriſtiano viro habendus non eſt, niſi tamquam aptiſſimum ad feſſas corporis, mentiſque vires reficiendas remedium, ut deinde intentius vacetur operi, & ſeriis rebus agendis aptiores efficiamur. Etenim quemadmodum ille in baptiſmo abrenuntiavit mundo, operibus, & pompis ejus, non licet amplius illi ſolatium, quatenus ſolatium, perquirere. Ut autem eodem uti legitime valeat, opus eſt, quod hoc illi quodammodo ſit neceſſarium, ac dicere poſſit, ſe eodem uti, *utentis modeſtia, non amantis affectu.* Quemadmodum vero finis unicus, & ſola ludi, ac ſolatii utilitas eſt corporis, mentiſque reparare vires, extra omnem aleam eſt, fas non eſſe ludere, ac ſolatiis vacare, niſi ad ſummum uti fas eſt, quieſcere, dormire, manducare. *Ex eodem.*

Prudentia judicare debet de ludi, & ſolatii neceſſitate.

Quantopere hujuſmodi ſolatiis egeamus, ipſa nobis oſtendet prudentia, quantumvis modicum boni ſenſus adſit, atque nobiſmet ipſis, noſtræque profeſſionis officiis animum advertamus. Etenim ſi eos prætergrediamur cancellos, quos ratio, & evangelica diſciplina nobis hac in re præſcribunt, rerum natura mutatur; quod additamentum eſt, caput fit; pro fine ſumitur, quod via tantum eſt, ut eo perveniatur; utque id ſimplicius, apertiuſque dicam; ludus nobis eſſe ceſſat, quod re ipſa eſt, quoniam ceſſat eſſe ſimplex corporis, animique refectio, quæ duas haſce partes, quibus conſtamus, magis idoneas efficit, ut ſecrete, ut chriſtiane, utque ſecundum chriſtianas diſpoſitiones agamus: ita ut ex D. Thomæ 2. 2. qu. 168. art. 3. ſententia, ludi exceſſus capitali noxa non vacet. *Exceſſus in mundo eſt peccatum mortale.* Idem.

De iis, qui ære alieno obruti ludunt.

Obærati, qui æs creditoribus ſuis perſolvendum ludo committunt, magis vituperandi ſunt; hoc enim ex iis ſceleribus eſt, quæ cœleſtem ultionem expoſcunt. Plerique principum, ac nobilium virorum, qui ludunt, hoc ſibi religioni minime vertunt; undequaque mutuantur, & ſumptibus, qui in ludum fiunt, provideant, cumque creditores æs repetunt ſuum, illi inanibus pollicitatiunculis hos fallunt, nugis fatigant, ſemperque moras nectunt, ut in aliud tempus æs diſſolvere differant. *Idem.*

Periculum, cui ſeſe objicit, qui ludit, ac ſolatium perquirit, circumſtantia eſt, quæ ludos, ac ſolatia efficere poteſt nefaria. Ideo quiſque ſe ipſum conſulere debet, temperamentum ſuum, ingenium, ſtudiaque ad examen vocare, antequam ludat, ac ſolatia perquirat. Qui pecuniæ æquo cupidiores ſunt, numquam ludo pecuniam, vel aliquid, quod pecunia æſtimari poſſit, committere debent; fieri ferme non poteſt, quod non ludant per avaritiam, & cupiditatem lucrandi, quæ res efficit, ut ludere nefas ſit. Qui iracundi ſunt, violenti, furibundi, ad jurandum, ac blaſphemandum proni, hi quoque a ludo quam maxime abhorreant opus eſt, ne irritentur, ne in juramenta, ac blaſphemias erumpant, &c. *Idem.*

Ludus nocens eſt, cum magno periculo obiiciuntur pecuniæ.

Cum plus æquo luditur, & pluſquam amittere rationabiliter velles, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, nefas eſſe ludere, quia ludo comes accedit injuſtitia, quia ibi magis regnat cupiditas, quia minus ibi capitur voluptatis, quia impenſius tunc ludus amatur, & quia exponitur aleæ bonum in uſum meliorem convertendum, & cujus jactura ſæpe graviſſima gignere ſolet flagitia. Hoc malum hodierna die inter Chriſtianos vulgatiſſimum unum ex illis eſt, in quæ Ethnici quoque, maxima cum indignatione, veluti tamquam in graviſſima ſæculi ſui vitia, invecti ſunt. *Idem.*

Scandalum quod ludus afferre poteſt.

Plurimi etiam ſcandalum afferre poſſunt proximo ſuo ludentes, immo & reipſa illis ſcandalum afferunt: hujuſmodi ſunt parentes erga filios, domini erga famulos ſuos. His quippe ſcandalum præbent, cum domos ſuas in aleatorum ganeas convertunt, vel cum ipſi infames id genus locos frequentant; cum diu ludunt, cum in ludo noctes, dieſque traducunt; cum nimis magnam auri vim aleæ objiciunt, cum jurant, ac blaſphemant, cum per avaritiam, & aviditatem ludo vacant &c. *Idem.*

Quantus ſit hodie ludi amor.

Verum eſt ludi amorem hodierna die eo proceſſiſſe, ut nulla ſit amplius regula, vel menſura, & integros dies, nocteſque in aleam tranſmittere, honeſti viri, honeſtæque mulieris ſolatium habeatur. Credunt etiam hoc ipſum vitæ genus belle cum pietate conſentire, nihilque in eo fieri contra religionis officia, ſi tunc etiam, poſtquam feſtinanter ſacris interfuiſti myſteriis, reliquum diei feſti ſpatium ludo impendas. Vitium hoc totum paſſim terrarum orbem inficit; ſed peculiare noſtri hujus ſæculi malum eſſe reor, quod hodierna die ad mulieres æque, ac ad viros hæc labes pervaſit; neque enim vidiſſe memini, alio quovis tempore fæminis tantum hoc dedecoris exprobratum fuiſſe. Neque neceſſe eſt hoc in loco recentem hunc in mulieribus furorem deſcribere; nemo unus ignorat, quot rei familiaris jacturas, quot familiarum excidia nova hæc pariat diſciplina. Verum non ſecus ac vara vibiam ſequitur, & vitium hoc alia ſubſequuntur; quia iniquitas non niſi iniquitate, uti veritas veritate fulcitur: mulieres, quas hæc ludendi libido tenet, pravis utuntur conſiliis, rationibuſque, ut ſuppetat ſibi, unde illam valeant explere. *Dominus du Tremblai in tractatu de Ludis.*

De aleatoribus eccleſiaſticis.

Mirum eſſe non debet, ſi Idolatræ cupiditatibus omnibus obnoxii fuere, ac inter cæteras ludendi eos prurigo tenuerit; illud vero debet eſſe mirum, quod Imperator tantum hoc malum ævi ſui eccleſiaſticis, quin immo Orientis totius eccleſiaſticis exprobaverit. Hoc autem videmus in præfatione cujuſdam conſtitutionis Juſtiniani, quæ in extrema codicis lege invenitur. Nobis quidem perſuaſum eſt, Cæſar ait, ſacerdotum puritatem, vitæ eorum integritatem, aſſiduarumque precum fervorem plurimum prodeſſe, ut Deus & noſmet ipſos, & imperium noſtrum propitio numine foveat: verum nobis etiam ſtupor inceſſit audientibus ea, quibus vix fidem poſſumus adhibere, aliquos videlicet ex his ſanctis viris, qui nonniſi ſumma cum reverentia excipiendi ſunt, nulla teneri verecundia, quo minus alea, teſſeriſque ludant. Quid autem ſapiens ille princeps dixiſſet, ſi, quæ noviſſimo hoc fiunt ſæculo, teſtis oculatus fuiſſet intuitus? *Idem.*

Ludi, & ſolatia per ſe amplectenda non ſunt.

Si tibi perſuaſum eſt, ſolatium per ſe amandum non eſſe, ſed tantum veluti neceſſarium ad exhauſtas attentione, ac labore vires reparandas remedium, & eum, qui aliter eodem utatur, æque ſtulte operari, ac illum, qui pharmacum optaret, quo ad valetudinem

nem

nem inſtaurandam minime indigeret: ſi tibi, inquam, hæc veritas probata eſt, haud ita operoſum mihi erit perſuadere, ſolatiis quam parciſſime utendum. Quemadmodum enim nihil ſtultius fingi poteſt homine remedia propter ipſa amante, eadem habenda eſſet idea hominis, qui ſimpliciter ſolatia quæreret, ut ſolatiis perfrueretur: attamen tantum abeſt, quod hæc nobis inſit idea, ut illam ne animo quidem concipere valeamus; cujus rei hæc ratio eſt. Parum ſanæ mentis haberetur, qui pharmaca pro bellariis acciperet, quia pharmacorum guſtus omnibus ferme accidit inſuavis, cum e contra ſuaviſſima habeantur ſolatia. Sed hoc in loco duos comparo ægrotos, quorum alter quidem corruptam habet rationem, alter vero guſtum depravatum; alter hic medicinam hauriat, quia illius amat guſtum; cum ſolatiis vacare non debeat, niſi ut corpus, mentemque ſuam fatigatam reficiat, quemadmodum pharmacum hauriendum non eſt, niſi ut valetudo reparetur. *Idem*.

Qui ex profeſſo aleatores ſunt, a liis quibuſcumque muneribus impares ſunt.

Ludi amor omnino diſſipat mentem, eamque ineptam facit, quæ alteri cuipiam vacet rei, vel ex re alia qualibet, quam ex ludo, hauriat voluptatem. Attende, exempli gratia, utrum mercator, qui ludum deperit, rite ſuo munere perfungatur; utrum cauſidicus, miles, quotidie munerum ſuorum exercitationem intermittant, ut ludant. Sed necquicquam diutius hac in re immoratemur; teſtor mundi totius experientiam, ipſamque aleatorum conſcientiam, & ex illis quæro, utrum alteri cuipiam tranſigendo negotio ſint pares. *O aleatorum ſedentaria, & pigra nequitia!* S. Cyprianus inquit. *Idem*.

Ad hæc aleatores ſuimet ipſorum, ac familiarum ſuarum ſunt inimici; homines ſunt, qui ſeſe quotidie in ſummum diſcrimen adducunt. O crudeles homines, ita illos S. Cyprianus appellat, in turpi ludi occupatione ea diſſipantes bona, quæ a patribus accepere, majorum ſuorum laboribus, curiſque collecta... Quoties res familiaris peſſum ire videtur, ſeu vir, ſeu uxor perdite ludum ament? Quot filiis deſunt neceſſaria, eo quod pretioſiſſima quæque in ludi ſumptus effunduntur? *Idem*.

Avaritia fere ludi hortatrix eſt.

Eædem cupiditates pro varia ſpirituum affectione varios gignunt effectus. Ita non deſunt, qui propter avaritiam non ludunt, quia damni timor magis eos movet, quam lucri ſpes. Alii vero per avaritiam ludunt, quia damni timor lucri ſpe ſuperatur; & lucrandi cupiditas, ac ſpes cauſa eſt, propter quam homines ludunt, & qui ingentem auri vim ludo committit, quia ſperat, ſe tantumdem eſſe lucraturum, ne minorem quidem objicere vellet, ſi ejus ſe jacturam ſubiturum metueret: *Ex alieni concupiſcentia ſua prodigit*: opes ſuas aleæ ſubjicit, quia alienis ſe locupletare contendit. *Idem*.

Una avaritia ludi cupiditatem gignit; & alit, eamque eo uſque provehit, ut quidam veluti furor evadat, quemadmodum eam doctus quidam auctor appellat: *Furax dementia*. Verum ludus quoque viciſſim fovet avaritiam, eamque cupiditatem irritat, quam adſpectus objectorum, ac facilitas iiſdem fruendi. Mortales omnes naturaliter pecuniam cupiunt; neceſſitatum ſuarum ſenſus efficit, ut inceſſanter id quærant, quod illis ſolatio eſſe poteſt. Nulla promptior, & facilior lucrandi via eſt, quam ludus, ideoque ludus neceſſario avaritiam irritat... Qui audax eſt, & magnam auri vim ſubjicit aleæ, vel vincit, vel vincitur; ſi primum, cupiditas ejus magis inflammatur, nullum eſſe periculum putat, ac jamjam omnem aleatorum pecuniam ſuam arbitratur: ſin vincitur, cupiditas damnum, quod paſſus eſt, reparandi efficit, ut iterum ludat, ut ſi jacturam fecit, eamdem reſarciat. Hoc pacto ſeu vincat, ſeu vincatur, cupiditas ejus convaleſcit, atque tandem adeo acer, ac valida fit, ut ad leviſſimam quamlibet occaſionem inflammetur... Si re adhuc integra modicum aliquod ludo committit, lucellum hoc excitat affectum, & affectu commoto aleator non eſt amplius juris ſui, neque id ultra præſtare poteſt, quod antea decreverat. Hoc in ſtatu non meminit amplius officii ſui; & ſi quando redeunt in mentem ea, quæ initio ſtatuerat, cupiditate momento diſſipata evaneſcunt. *Idem*.

Ludus crudele commercium eſt.

Ludus adeo crudele commercium eſt, ut alterius clades non optari non poſſit: neque enim aliter aviditatem noſtram optare licet, cum lucrari nequeamus, quin alii amittant; neque alii lucrari poſſint, quin ipſi damnum feramus. Hæc ludi crudelitas eſt: & hac proculdubio de cauſa aleatores ab Ariſtotele fures, latroneſque vocantur; horum quippe voluntas, æque ac illorum, injuſta eſt; & quemadmodum cupiditas nullis finibus coercetur, ſi hæc hodie argenteum quærit, ſemper creſcere poteſt, ac demum ad exitium illius, cum quo luditur, extendi. *Idem*.

In ludo nulla ferme æquitas ſervatur.

Verum eſto, ſi aleatores æquitatem ſervarent; ſi partes invicem æquales committerentur; quid autem cum hæc numquam accidant, vel ſi quando contingunt, non niſi præter intentionem ludentium eveniant? Cum in ſocietate aliquis adeſt, qui facile falli poſſit, nonne cum illo omnes certatim ludere contendunt rati, ſibi elabi victoriam non poſſe? Umquamne animadvertiſti, quibus artibus utantur, ut illum ad ludendum alliciant? Quomodo hæc prudentia, ac dexteritas appelletur? Verum enim vero ſi dexteritas illa aliud non eſt, quam fraus hominis, qui mundi prudentiam poſſidet, aſſerere merito poſſum, hunc hominem non eſſe Chriſtianos ſenſus foventem. *Idem*.

Cur leges aleam interdixerint.

Legislatores, qui norunt, quam difficile ſit hominum cupiditatibus fines ſtatuere, operæ pretium cenſuere omnino ludis illis igni, & aqua interdicere, in quibus facile incaleſcit animus, & in quibus vere dicitur, facilius eſſe omnino non ludere, quam moderate ludere, eo quod facile eſt illis diu, quamlibet hora, & quolibet in loco ludere; cum e contra ludis, qui cum corporis exercitatione conjuncti ſunt, non niſi quibuſdam horis vacare liceat; in his non adeo celeriter pecuniæ jactura fiat; & ſpiritus fatigetur in illis, in quibus ſola dexteritas referat pretium. *Idem*.

Hæc ſecum ſæpe repetant oportet, numquid me in terris conſtituit Deus, ut luderem, ac ſolatiis vacarem? Tot abierunt anni, ex quo ludum, ſolatiumque dumtaxat conſector; quid inde mihi reliquum eſt? Numquid cor meum ideo contentum eſt; & illi, qui hoc vitæ genus ſecuti non ſunt, numquid ſunt præ me minus contenti? Nunquid adhuc hiſce detinebor nugis, quæ vere mihi ſatisfacere nequeunt? Accedit tempus, ingentibuſque greſſibus advenit, quo mihi reddenda erit Deo ratio tum ejus temporis, quod mihi, ut ſalutem meam operarer, conceſſerat, tum meæ valetudinis, ingenii, bonorumque meorum; atque momentum hoc hodie fortaſſe, veſpere, nocte hac fortaſſe irruet. Numquid animam eiflarem vellem nuper a teſſeris, aleiſque recedens? *Idem*.

Ludus eſſe non debet noſtra occupatio.

Quoddam tempus, & quaſdam horas honeſto impendere ludo, per urbanitatem, atque ſocietatis indulgentiam luſoriæ menſæ aſſidere, neceſſitas eſt ſimilis illi, qua veſci, ac dormire debemus; videlicet ut parumper mentem reficiamus; novaſque corpori vires tribuamus. Verum ita ludo vacare, ut hæc præcipua fiat occupatio noſtra, atque in hoc omne fere tempus tranſmittatur; & ita ut illi, quibus negotium, & labor miniſterio ſuo interdicuntur, non erubeſcant dies, nocteſque tranſmittere alea ludentes, & lucrandi modos, hoc eſt, amicos ipſos diripiendi eorum pecuniam auferendo quærentes; nihilominus in ira, & dolore ſuo, in impetu, ac faciei colore, in incompoſito corporis habitu minime non videre ſordidiſſimæ, teterrimæque avaritiæ characterem; hoc ſane eſt ſe ipſum excæcare. *Sermo manuſcriptus, qui Patri de la Rue acceptus refertur*.

De ludo, & malis, quæ inde proficiſcuntur.

Mundani ludunt, ut cum illos pertæſum fuerit otii, aliquod habeant, quo oblectentur. Ludi amor efficit, ut ſuis deſint officiis, eoſque illuc adigit ubi chriſtianæ pietatis exercitia obire non valeant. Nemo non videt, aleas, teſſeraſque præcipuum eſſe hominum, mulierumque negotium, qui in ſe totius civitatis oculos convertunt, ac timent, ne ab omnibus deſpiciantur, & flocci fiant, niſi communem vivendi rationem ſequantur. Res domeſtica neglecta, jurgia inter conjuges, abjectiones, quibus reparandæ ſunt inſignes jacturæ, perſona abjecta, & nonnumquam turpis, & nefaria, qua fortunæ excidio ſupplendum eſt; quamplures, qui honeſtum vitæ genus æquabile, & chriſtianum duxiſſent, aleatorum numerum augent, hanc prætexentes cauſam, quod videlicet evitare cupiunt ludibrium, in quod ſe lapſuros putant, ſi eam vitæ rationem ſequerentur, quæ illos ab aliis diſtingueret. *Liber cui titulus: Animadverſiones in varia Ethica, & religionis argumenta*.

Plerique mortales ſatis ſibi non putant honeſta ſolatia.

Si in variis motibus, quibus homines in mundo agitantur, ut tempus fallant, id unum ſibi proponerent, ut confectas reficerent vires, poſſent illi quidem innocenter ſeſe recreare. Non deſunt gaudia quædam ſimplicia, atque naturalia, quæ ſpiritum reficiunt, honeſtas neceſſitudines alunt, commercium jucundius efficiunt, & quæ ſine tædio guſtari poſſent. Hæc tamen nullam habent illecebram, ac ſuavitatem pro mundi ſectatoribus, immo triſtia videntur fatua ac parum apta ad mentem exhilarandam,

atque excitandam animi alacritatem; eaque illis relinquunt, quos vel obſcura ſocietas, vel ruſtica ſolitudo a feſtivis ſocietatibus arcet. In eorum voluptatibus aliquid ſemper incompoſitum debet ineſſe, ut veræ videantur voluptates. *Idem*.

Extra omnem dubitationis aleam verum eſt, omnia inordinata ſolatia eſſe peccata, mihique non minus perſuaſum eſt, nulla eſſe eorum, quibus oblectamur, ubi plurimum mali non adſit. Quam ob cauſam? Audi. Voluptates, atque ſolatia reguntur ex fine: habita ratione laboris præteriti ſunt relaxationes; ratione vero futuri, ſunt diſpoſitiones, & apparatus. Non igitur licent, niſi quatenus neceſſaria ſunt, vel ut attritas vires repares, vel ut recentes acquiras. Hæc menſura eſt. Quidquid illam excedit, Dei conſiliis adverſatur, ideoque vetitum eſt. At quis non videt, quod mundi ſolatia vulgo neque labor aliquis præcedit, neque labor aliquis ſequitur? Quod illa propter ipſa quæruntur ſine alio conſilio, quam ſuavitatis eorum guſtandæ, & commodæ vitæ ducendæ? Quod ibi teritur tempus ſine modo, ac ſine fine, atque ſe nocentem exhibet, qui ita divinæ providentiæ ordinem ſubvertit? *P. Girouſt in Adventu Tomo 1. ſermone de inutili mundo vita*.

Aſſiduus ludus peccatū eſt.

Fateor equidem non deeſſe ludos quoſdam, qui culpa vacui ſunt, dummodo modice illis utaris: hæc nonnumquam recreatio eſt menti & corpori debita ad alterius quidem vires nimia attentione exhauſtas, ad alterius vero nimiis laboribus attritum robur reparandum. Sed ludi, qui ex profeſſione inſtituti videntur, dierum omnium, omniumque ferme horarum, diurnarum æque ac nocturnarum præter eas, quæ ſomno, & quieti impenduntur; ludi, in quibus tota vitæ ratio ſita eſt, cum hujus quædam dumtaxat additamenta eſſe deberent; verbo, ludi, quales in mundo videmus, illi ſunt, quos damno, & jure damnandos cenſeo. In iſtis Dei erga vos conſilia minime invenio: hoc neque natura vos docet. Non quæro, utrum hoc ſit, ut Chriſtianum, ſed ut hominem decet, vitam inſtituere; & utrum adeo inane negotium factum fuerit, ut animæ rationalis cogitationes omnes in eo figerentur? *Idem*.

Mali prætextus, qui afferuntur, ne ludo abrenūcietur.

Ludus meus, inquis, nullam affert terrenis negotiis meis injuriam, aleæ committo ea tantum, quæ mihi ſuperſunt: eſto, ſed ludus hic tuæ ſalutis negotium evertit: nonne ſatis eſt? Sine furore, ac violentia ludo, hoc eſt, te ipſum ſciens, & volens damnas. Non erumpis, ut alii in perjuria, atque blaſphemias, teque retinet non tam Dei, quam hominum timor, & fallax honor, quod aucuparis, videri elegans, & imperturbabilis aleator, atque tui compos, non ſolum cum tibi arridet fortuna, verum etiam cum tibi adverſatur. Verum quomodocumque ſit, nulla ratio excuſare poteſt injuſtam tui temporis diſſipationem; quod quidem malum eſt omnino oppoſitum cœleſtibus intentionibus, & contrarium regulis, quas tibi tradidit Deus. Cæterum numquid manifeſte verum eſt te aleæ ſubjicere ea tantum, quæ ſunt tibi ſuperflua? Ubi nihil tibi ſupereſt, nonne iis manum admoves, quæ ſunt neceſſaria? At hoc ipſum, quod ſupereſt, & quod audacter adeo periculo objicis, eſt ne tuum? Nonne pauperum eſt? & neſcis apertam eſſe injuſtiam aliena bona in diſcrimen adducere, ac ultro diſperdere? *Idem*.

Peccata, & mala, quæ ex ludo proficiſcuntur.

Ludum amas, atque conſcientiam tuam perdit hic ipſe ludus interminatus, & exlex, qui tibi non eſt amplius ſolatium, ſed occupatio, ſed profeſſio, ſed negotiatio, ſed affectus, & animi ægritudo, ſed, ſi dicere fas eſt, rabies, & furor, ludus, de quo ad apicem litteræ dici poteſt abyſſum eſſe alteram, vel centum alias abyſſos trahentem: *Abyſſum abyſſum invocat*. Pſ. 41. Inde enim proficiſcuntur innumera illa peccata, quæ illum conſequuntur: inde officiorum tuorum oblivio, rei familiaris incuria, perniciosſum, quod filiis præbetur, exemplum; inde redituum tuorum diſſipatio, inde indignæ verſutiæ, ac ſi verbo aptiori uti licet, nefariæ fraudes, quas lucri cupiditas parit; inde furor, perjuria, deſperatio, cum amittitur; inde turpia illa conſilia, ad quæ confugiendum eſt, ut acceptum damnum reparetur; inde illa ad omne nefas propenſio, dummodo inveniatur, quod aleæ ſubjici poſſit. Ludum coerce; & quoniam facilius eſt illum prorſus relinquere, quam moderari, eum relinque, ac palam hoc ipſum profitere. *P. Bourdaloue ſermone de Pœnitentia in veris ſermonibus ejus 2. Adventu*.

Mira attentio, quæ ludo impenditur.

Ludus non eſt amplius ſolatium, ſed ſtudium, quod exſiccat, ſed ſterilis, ingratuſque labor, quod vires exhaurit, ſed affectus, cui bona omnia, quies etiam, & anima ſacrificantur. Mentis attentionem, quæ ab exercitiis pietatis ſeparari nullo modo poteſt nimiam eſſe conqueruntur: heu! alea majorem poſcit attentionem, ac mentem fatigat magis, quam magnus dierum numerus in ſolitudine tranſactorum. Quæ contentio, Domine! ut inceptam ludi rationem ad finem feliciter perducas, ut fortunam captives, ut ſemper ſortem in tuum commodum transferas, ut artem, atque verſutiam eludas, denique ut ipſa quoque aliorum conſilia, & cogitationes detegas, utque adverſario etiam tuo fucum facias? Satis eſt animo tibi fingas aleatorum congreſſum: nihil hoc magis grave, magiſque ſerium; triſtis ſeveritas in eorum facie regnat, omni conſideratione præterquam lucri repoſita, jugiter mente ſua aliquem agitant caſum, qui ſibi faveat, neque inquietum hoc, moleſtumque ſilentium, quod ſervant, interdicunt, niſi ut vel metum, quo tenentur, ne amittant, vel dolorem, quo conficiuntur, quia amiſere, teſtentur. Semper abſtracti uſque ad quamdam mentis alienationem magis communium vitæ urbanæ officiorum obliviſcuntur. Omnia illis condonantur verba injurioſius, acerbius, iracundius, ac importunius prolata, non ſecus ac ægris, quos nimia ſpiritus diſſipatio, vel ſanguis nimis agitatus de mentis ſanitate proturbat. Pravum eorum ingenium ultra ludum ipſum perſeverat, ac imprudens pertinacia, ne dicam ſpecies furoris lucrum perennandi, vel acceptam reparandi cladem, indeſinenter ludum inſtaurari jubet, ac animi affectum efficit vehementiorem. Hoc illud eſt nobile ſolatium, congreſſuum omnium anima, ætatum omnium ſcientia, omniumque nexus voluptatum. *P. Croiſet in ſpiritualibus Conſiderationibus*.

Ludus familias evertit.

Ludi affectus umquam ne cum magna rei domeſticæ cura conſentit? & qui ex profeſſo aleator eſt, umquam ne cordi habet id, quod ipſius maxime intereſt? Numquid ludus artem locupletandi tradi? Piratæ numquam familiis tantum nocent, quantum alea; ſeſſio una naufragio par eſt; & licet omnium feliciſſimus ſis, metuendum ſemper tibi eſt, ne filios miſeros relinquas. Quot obæratæ familiæ; quot domus quarum opulentia fulguris inſtar evanuit, ſtatim ac mortalium oculis enituit! mundi ſectatores numquam hæc mala veræ cauſæ referunt accepta. Sapiens veram mali originem ſcrutatur, atque in ludo, & luxu verum nanciſcitur tot malorum principium. *Idem*.

Nequicquam ſexcentas afferre conaris cauſas, ut probes te ludere, ſicut honeſtum decet virum, hoc eſt modice, ſapienterque; certum eſt, ibi nihil umquam fieri quæſtus in cœlum inferendi, ac ſemper pecuniæ jacturam minoris eſſe ducendam. Verum enim vero ſi illius, qui ex profeſſo aleator eſt, qualitas pudorem cuicumque Chriſtiano debet offundere, quid de illis cogitandum eſt, qui ob turpe lucrum adeo legibus, boniſque moribus contrarium, domum ſuam aleatorum academiam faciunt? Hi eo miſeriores ſunt, quo minus ſuam ſentiunt miſeriam. Quænam conditio magis chriſtiano nomine indigna? Aperire, ut ita dicam, omnibus cupiditatibus aſylum, ubi palam, ac imperioſius regnant; licentiæ perfugium, ac vitiis omnibus arcem, ubi dominantur, & ſexcenta mala gignunt. O Deus! quæ cæcitas, ne dicam quis furor pro ignavis, ac mercenariis hiſce animabus, velle ſibi vitio verti omnia aleatorum, quos congregant, crimina, ac totius populi iniquitatem ſubire, ſæpe etiam ob voluptatem videndi domi ſuæ nitentem aliquam ſocietatem, ſemper vero ob cupiditatem, quidquid dicatur, ferendi lucrum, quod æque ſordidum eſt, ac pernicioſum. *Idem*.

Quando, & quomodo ludere liceat.

At enim numquam ludere licebit; & quodlibet licet honeſtum ſolatium nobiſmet ipſis interdicamus oportet? Non ita ſane: animus non eſt quodlibet abſolute ludi genus damnandi, neque uſum rerum omnium, quæ citra Dei injuriam hominis vires reparare, ac recreare poſſunt. Exceſſus dumtaxat damnatur, & amor; id unum vituperatur, quod bonis moribus contrarium eſt, & frugi, honeſtæque Chriſtiani hominis vitæ, nec non evangelicis inſtitutis oppoſitum. Colluſorum cœtus, quem urbanitas cogit, & chriſtianus ſpiritus regit, eſſe poteſt honeſta recreatio, dummodo non ſit quotidiana. Ludus ſemper eſſe ludus debet, hoc eſt, in ſerium negotium non debet migrare. Quin totum hominis ſpiritum occupet, eum immo laxare debet; cupiditas, periculum, affectus inde prorſus debent exulare; ac ita ludus eſt inſtituendus, ut nulla umquam tibi adſit cauſa, propter quam vel jacturæ pœniteat, vel nimio ob lucrum gaudio perfundaris. *Idem*.

De ludi amore deque malis, quæ parit.

Ludi amor, honeſtorum hominum nunc amor eſt, atque inter ſuaviſſimas vitæ delicias recenſetur: ſed

Re nobis diffidendum eſt, cum agitur de choreis publicisque ſolatiis.

At enim, inquies, flagitia, quæ quibuſdam intemperantiæ temporibus committuntur in choreis, & ſaltationibus, quibus homines potiſſimum occupantur, minime probo; igitur damnandæ quoque ſunt occaſiones, quæ tibi iſthæc ſuadent, & evitandum periculum, quod te illis objicit. Hæ autem occaſiones ſunt eædem voluptates, quas tibimet concedere paratus es. Cave igitur melius ab alea, ac ludo, quem effuſius amas iis temporibus, quibus in illo noctes integræ traducuntur, poſt dies in ſexcentis ſtultitiis inſumptos, & propter quem plures menſes ſumptibus frænum injectum eſt, & grandis pecunia mutuo accepta non ſine ingenti ſpe jacturam aliis temporibus factam ſarciendi. Chorea, aliaque ejus temporis, quod Bacchanalia vocatur, ſpectacula eſſene poſſunt magis vacua culpa, & periculo iis diebus, quibus mens eſt omni ſolatiorum genere diſſipata, & cor voluptate corruptum liberiorum, ac in omnem lætitiam effuſiorum ſocietatum, quæ etiam alias induunt perſonas ad celandam quodammodo infamiam, qua ſuffunderentur, ſi palam in hujuſmodi ſolatiis parum pudicis, honeſtiſque deprehenderentur? Quot mortales illis intereſſe non auderent, niſi tempus faveret ingenio, quo rapiuntur, & modum ſuppeditaret liberius cupiditatibus ſuis ſatisfaciendi? Audacter ergo dicere poſſumus, ſi hæc flagitia probro digna ſunt, quod nemo valet inficiari, neceſſario inde conſequi, nequaquam vacare culpa ſe illis objicere, ac in diſcrimen adducere interitus. At periculum hoc nuſquam majus eſſe poteſt, quam publicorum ſolatiorum tempore; præter enim propenſionem, qua quiſque illa adpetit, tempus ipſum, generali conſuetudine approbante, favet, validiuſque ad eadem invitat. *Idem*.

Patet, quidquid efficere debet, ut magis timeamus periculum noſmet tradendi oblectationi, & voluptati in mundi feſtivitatibus, præſertim vero in illis, quæ bacchanalia appellantur, quæ ſunt tamquam omnium flagitiorum ſentina, patet inquam hoc imo nos impellere, ac in illud præcipites agere; immo etiam coram hominibus excuſare videtur eos, qui incidunt in illud. Etenim nonne verum eſt, licet natura ita conſtitutum non eſſet, ut ultro ad hæc ſolatiorum genera propenderemus, vel ætas, dignitas, officium, aut negotia noſtra alio quovis tempore nos inde avocarent: omnia hac in re cedere conſuetudini: juſtitiam in foro indici; opifices ab operibus ceſſare, alioſque omnes negotiis, vel quotidianis occupationibus inducias præbere? Calamitoſi temporis hujus negotium unicum eſſe videtur voluptatibus indulgere. Si hoc fieret, ut mox majori vi iterum ad ſuas quiſque curas reverteretur, & hæc animi recreatio hac mente moderate ſumeretur, nimis ſeverus eſſet ille, qui ſolatia hoc anni tempore damnaret potius, quam alio; ſed quis probare poteſt, intemperantiam & impudicitiam propter tempus & conſuetudinem excuſari, necnon cancellos tranſiliri, quos humanæ infirmitati ratio concedit? Etenim hanc potiſſimum cauſam prætexere mortales ſolent, ut facilius in omne vetitum ruant, quia, inquiunt, torrens eſt conſuetudo, qui paſſim fortiſſimum, & conſtantiſſimum quemque rapit, & perinde ac iſta conſuetudo contra rationem, & æquiſſima Chriſtianæ Religionis jura præſcripſiſſet, hæc allegatur, ut ſeſe omnes excuſent. Timor, ne ab aliis in ludibrium vertamur, & cenſoria nota perſtringamur, ſi verecundiores vulgo fuerimus, quam illi, nonne ſæpe majorem vim habet, quam virtutis amor, ſuique officii cura? Societates, quæ numquam ſunt frequentiores, & otioſiores, nonne videntur ab omni labe tueri eos, qui illas ſequuntur, & imitantur? Nonne ſe citra probrum eſſe putat, qui hæc ſe facere jactitat, ut ſuum oſtendat ingenium, ut liqueat, ſe noſſe mundum, & hæc facere, quia ab honeſtis hominibus fiunt? Cum hæc omnia ſimul coeunt, conſuetudo, exemplum, ſocietates, timor diſplicendi propter repulſam, quæ parum honeſta, & inurbana videretur, quis ſe ſatis excuſatum non putet, ſi quid peccaverit, quandoquidem vix aliquis hoc tempore, & hujuſmodi in occaſionibus ſe continet? Tamen quis audeat affirmare illos eſſe culpa vacuos, & conſuetudinem alicui coram Deo prodeſſe? *Auctor ſermonum in omnia argumenta*.

Sola flagitia quæ bachanaliorũ tempore committuntur, prohibere debẽt, ne quis temporis hujus ſolatiis interſit.

Quid porro magis magiſque debeat vobis in ſuſpicionem adducere ſolatia, quæ mundi occupationem ſtatis præſertim temporibus conſtituunt, & quæ prætermitto, ſatis enim ea noſtis: Quid inquam ea nobis in ſuſpicionem adducere debeat, hoc eſt, quia videlicet ipſa per ſe gravia peccata ſunt potiſſimum eo tempore, quod Bacchanalia appellatur, tempore intemperantiæ, atque impudicitiæ, quod criminoſum facit, quod citra crimen aliis anni temporibus fieri poteſt. Videlicet aleæ exceſſus, exempli gratia, criminoſus eſt, neque ambigitis: commeſſationum, compotationumque exceſſus crimine nequaquam vacat, quod de aliis etiam ſolatiis dicendum eſt, & hoc extra omnem dubitationem poſitum eſſe ſupponimus. Quid autem harum rerum omnium exceſſus eſt? Quandonam hoc nomine ſunt appellanda? Fatendum eſt tunc eſſe, cum omnino ſe ſe illis mortales ingurgitant, ut ita dicam, & in iis totum ſuum tempus impendunt. Qui exempli cauſa, tempus omne tereret ludendo, vel bibendo, & manducando, vel qui æternum quacumque re vellet oblectari; proculdubio, licet iſta per ſe licerent, exceſſus eorum licere non poſſet, & affirmare horum ſolatiorum exceſſum generatim criminoſum eſſe, id eſt affirmare, de quo dubitandum non eſt. *Recens Auctor*,

Quandonam ut plurimum ſe ſe mortales tradunt in omne libidinum genus, niſi ſtatis temporibus, quæ omnino illis devota eſſe exiſtimantur? Num de alia quapiam re tunc cogitatur? Nonne id in occupationem, negotiumque migrat? At enim bibendo, vel manducando non exceditis: hoc ſatis difficile eſt, quod credam. Non multam pecuniæ vim aleæ committitis; eſto, licet ægre voſmet contineatis. Modeſtiæ, pudoriſque terminos non tranſilitis in choreis, & ſaltationibus; non levis adhuc vobis reſtat cauſa diffidendi. Qua igitur in re poſitus eſt exceſſus iſte, qui numquam culpa vacat? In tempore, quod inſumitur; in ardore, ac nimia cupiditate, qua hæc ſolatia conquiritis, in eorum amore, quod ipſi teſtamini. Quoniam enim hoc tempus ſolatiis, & oblectationi deſtinatis, illud totum, quantum eſt, in illis impenditis. Et ſane ſi bacchanaliorum tempore Chriſtianæ religionis facies ſpectetur, cum eccleſia, piique viri lacrymantur, quid videbitur, niſi otioſorum hominum congreſſus, qui in mollitie, ignaviaque immerſi tempus tantum terere quærunt, & quibus hoc unum negotium eſt, efficere, ut ſolatia, & voluptates alia aliis ſuccedant, eaque permutare ſtatim ac priorum uſus faſtidium pepererit? *Idem*.

Solum tempus quod ſolatiis impenditur contrarium eſt legibus Chriſtianiſmi.

Quid cogitatis eo tempore, quod mundus voluptatibus, atque ſolatiis deſtinat? Id procul dubio, quomodo voſmet gaudio mancipetis, omnemque moveatis lapidem, ut quam uberrime ſolatiis omnibus, deliciiſque abundetis: ſi enim exceſſus non eſt in uſu, in ſumptu, vel in modo, tempus, quod impenditur, ſaltem excedit, ſimul enim conciliari non poteſt cum Chriſtianæ religionis ſanctitate, tempus eſſe, vel anni ætatem vitio, flagitiiſque deſtinatam. Sed quam afferre poteſtis excuſationem, quæ valeat aliquo pacto probare flagitia, quibus voſmet ingurgitatis? Ut extremum vale dicatis flagitiis, ac licentiæ, reſpondebitis, inchoaturi tempus mortificationis, & pœnitentiæ, quod eſt ſubſecuturum. O præclaram rationem abrenuntiandi voluptatibus, & ſceleribus, ſeſe in illis volutare! Geminare intemperantia, integras noctes in alea, ſaltatione, compotatione, & commeſſatione traducere, idque ut te proximo diſponas jejunio ſanctiſſime in eccleſia Chriſtiana inſtituto. Hæc excellens quidem eſt diſpoſitio ad obtinendas recentes gratias, ac cœleſtes benedictiones tibi promerendas. *Auctor recens*.

In publicis ſolatiis, in ludis, choreis, & ſaltationibus, levis noxa videretur, ſi ſolus te illis traderes. Conſuetudo hæc approbans, & exemplum generale, quod omnium verſatur oculis, quamprimum cæteros trahunt, qui traditum a nobis exemplum ſecuti ſeſe eidem conformant; hinc intemperantia fit generalis; alii alios ſeſe mutuo excitant, & nulla conditio, nullus ſexus, nulla ætas eſſe poteſt immunis. Alii aliis fiunt lapis offenſionis, & petra ſcandali, ut loquitur Scriptura, tamquam omnes ſimul perituri, ſibimet ſcopulo futuri, vel alii alios in præceps daturi, vel denique apprehenſa aliorum manu alii alios in foveam pertracturi. Hinc fit, ut libidines, & flagitia quibuſdam temporibus non ſolum publica ſint; verum etiam, ut catervatim, gregatimque in illa curratur. Non niſi ludentium cætus videntur, & ſocialiter ſibi per vicem gaudendi, oblectandique occaſiones præbentium, ac omne tempus ſuum in alea, choreis, & voluptatibus abſumentium.

Alios

Alios exemplo noſtro excitamus, alienoque excitamur ipſi, conſuetudo probatur vel ſi nondum ſatis conſtituta fuerit, eamdem nos quoque conſtituere conamur. *Recens Auctor*.

Quemadmodum Deus ſibi quædam elegit tempora, quibus colatur, ita dæmon ſibi videtur reſervaſſe bacchanalia.

Jure dicere poſſumus, flagitia, in quæ labimur præſertim temporibus, quæ conſuetudo voluptatibus conſecravit, valde frequentiora, & graviora eſſe ratione eorum, a quibus patrantur. Nam ſi iſti vitio cuipiam ſunt obnoxii, tunc potiſſimum ſe illi mancipiunt liberius ea mente, quod tempus, quod ſubſecuturum eſt, reparabit omnia, atque ſupplebit iis omnibus officiis, quæ per hæc oblectationum tempora neglecta fuere. Satis eſt dicere hoc tempus eſſe intemperantiæ, quo regnat poteſtas tenebrarum, ut ea omnia permiſſa eſſe arbitremur. Diceres, quod, quemadmodum Deus poſt mundi creationem unum ſibi reſervavit diem, qui unice cultui ſuo impenderetur, ita Princeps tenebrarum, qui vult rebus in omnibus divinitatem imitari, ejuſque cultum ſibi uſurpare, quod tot ſæculis apud Ethnicos aſſecutus eſt, licet foras ejectus a mundo, ſecundum Domini verbum, videtur ibi ſtatos habere dies, ut Deus ſuos habet; & nomen ipſum, quo hæc ſolatiorum, ac intemperantiæ tempora nuncupantur, ſatis aperte docet, illam votorum ſuorum ſumma eſſe conſecutum; dies, quibus homines plerique non omnes ſolum conſcientiæ ſuæ ſtimulos jugulant, verum etiam ipſa rationis lumina extinguunt ſe ſe immodicis abdentes cupiditatibus, quæ ad inſaniam uſque procedunt, & quod fidem excedit, de omnibus ſuis flagitiis gloriantes. *Auctor ſermonum in omnia Ethica argumenta &c.*

In his choreis, ſaltationibus publiciſque cœtibus graviſſima flagitia committuntur.

Quonam alio nomine, quam dementiæ, vel furoris potius appellari poſſunt hi larvatorum mortalium cœtus, hi nocturni diſcurſus, inſani hi ſumptus in commeſſationibus, tripudiiſque, aliiſque id genus noxis, quæ in choreis committuntur? Quot laſcivi geſtus, quot indecora verba, quot figuræ, habituſque corporis non dicam homine Chriſtiano, ſed eo, qui ſimplicibus recti ſenſus luminibus utitur, indigno! Flagitia, quæ ibi patrantur, modum excedunt; & ſi Deus id genus mortalibus gratiam largitur, ut reſipiſcant, nullum dubito, quin fateantur aliquando, ſe in hujuſmodi nocturnis congreſſibus nequiſſima vitæ ſuæ crimina commiſiſſe; quandoquidem dicere verum eſt, ſola peccata, quæ ab hoc ſolatiorum, ac metamorphoſeon genere ſeparari non poſſunt, plerumque eſſe eorum omnium, quæ alia quavis in occaſione committi poſſunt, peſſima. Nonne quippe fatendum eſt, quantumvis frugi alio quovis tempore ducatur vita, ſaltationum, atque chorearum tempore longe majorem eſſe, quam alias animi diſſipationem quoniam auſteriſſima etiam virtus, & probatiſſima innocentia ibi ſæpiſſime periclitantur? *Auctor recens*.

Ubi ſemel noſmet tradidimus intemperantiæ, quæ in ſaltationum, chorearumque cœtibus adeo frequens eſt, non ſemper in nobis ſitum eſt, eidem cancellos præſcribere. Quemcumque modum ſervare conſtituimus, pes eſt in lubrico, neque ita facile noſmet continere intra eos fines, quos propoſuimus, quin ulterius progrediamur. Labimur, vel trahimur, ne cogitantes quidem, neque ſatis ille ſe ipſum cognoſcit, qui credit fore, ut reſiſtere valeat ſollicitationibus, precibus, tentationibus, quæ illi occurrent, ubi ſemel iis implicitus fuerit. Tranſitus ab eo, quod permiſſum dumtaxat eſt, ad id quod vetitum, plerumque modico eſt in diſcrimine: neque hæc ita procul invicem abſunt, ut ſpondere poſſimus, utriuſque terminos minime tranſilituros. Ita ſæpe uſuvenit id, quod de amico ſuo S. Auguſtinus teſtatur, qui cum ad gladiatorum ſpectacula, quæ tunc vetita erant, trahi ſe paſſus eſſet; ægre quidem, atque reluctans, & invitus, ſed ſocietatis importunitate coactus illuc acceſſit; ſed non diu ibi permanſit, quin oblectatione captus plauderet, & ut alii, conclamaret, ac ſe deinceps ad eadem repetenda ardentiorem præberet. Hoc illis accidit, qui choreis, atque ſaltationibus intereſſe cupiunt, ac ſibi blandiuntur, ſe numquam officii, dignitatis, ac profeſſionis ſuæ oblituros, & ſe ſatis ſuperque omnes Religionis canones didiciſſe. Heu! ne in hujuſmodi occaſionibus de vobiſmet ipſis confidere velitis; non erit ultra penes voſmet arbitrium; & longe facilius eſt iis abſtinere, quam ſemel implicitam in iis innocentiam ſervare. *Auctor ſermonum in omnia argumenta*.

Quibus malis ſeſe obiiciant, qui ultro ſaltationes quærunt.

Exceſſus, in quos ruunt homines in choreis, aliiſque publicis ſolatiis, ut plurimum exitus habent funeſtiſſimos non ſolum proximo, qui noſtris exemplis trahitur, verum etiam nobiſmet ipſis, cum in illos incidimus per pertinaciſſimam cœcitatem, aliaſque nobis inflictas a Deo nos deſerente pœnas, quæ licet non ita ſentiantur, ut bonorum temporalium, valetudinis, vitæque detrimenta, multo tamen magis formidandæ ſunt, tamquam effectus ſeverioris ultionis, atque gravioris iracundiæ. Tunc enim derelinquitur Deus contumelioſius, cum in partes inimicorum ejus concedimus; & apertius illi bellum indicimus, cum per quamdam apoſtaſiæ ſpeciem cultui ejuſdem, & Chriſtianæ Religioni abrenuntiamus, quemadmodum Patres nonnulli loquuntur. Deus igitur ex ſe videtur facere non poſſe, quominus ſuas amoveat gratias, atque præſidium, tradens mortales hujuſmodi inordinatis ipſorum deſideriis; cujus rei deinceps apertiſſima eis præbet argumenta. Et profecto ſi per hanc licentiam atque intemperantiam hoc nobiſmet malum conflamus, nonne jure affirmo, hiſce diebus libidinum, ac voluptatum initium ducere mortalium reprobationem, cujus rei manifeſta non deſunt indicia; quoniam hiſce iiſdem temporibus ipſi priores deſerunt Deum, vel ſaltem magis, quam alias recedunt ab officio. Si enim Sancti Patres veritati nequaquam officere arbitrati ſunt docentes, quod intereſſe ſpectaculis, quæ ipſorum ævo fieri conſueverant, idem erat ac abdicare fidem; erat enim iis adverſari promiſſionibus, quibus mundi pompis abrenuntiaverant; nihil hyperbolice dicimus, cum hoc ipſum de aliis aſſerimus oblectamentis, quæ ratione pari chriſtianæ vitæ adverſantur. *Idem*.

In choreis, & ſaltationibus magis, quam alibi pudor periculo obiicitur.

Quamvis plures occaſiones impudicitiam ſuadeant, ac plures externæ cauſæ ad externum hunc concupiſcentiæ ignem inflammandum conferant, qui jam ſatis per ſe accenſus eſt: tamen neque vulgatiores, neque periculoſiores invenio quam hos profanos ſexus diverſi congreſſus, qui propter choreas, & ſaltationes habentur. Hæc eſt veluti publicum Lycæum, ubi adoleſcentes impudicitiam addiſcant, & hauriant infelicis hujus ſcientiæ documenta, quam nemo ex ſemetipſo ſatis non diſcet. Hic plerumque locus eſt, ubi adoleſcentes cum adoleſcentulis aliquid licentiæ ſibi vindicare aſſueſcunt, quæ cum hactenus verecundiam, atque modeſtiam ſervarint, paullatim eo procedunt, ut jacturam faciant ejus pudoris, qui earum ſexum maxime decet, ejuſque pulcherrimum ornamentum conſtituit. Ut verbo me expediam, hic eſt ex miſeris his locis, qui voluptatibus dicati ſunt, quo numquam puella pedem intulit, quominus paſſa fuerit ſuæ pudicitiæ jacturam, vel ſaltem eidem labem aliquam non intulerint: quoniam hic unus eſt ex præcipuis mundi locis, in quibus intemperantia regnum ſuum conſtituiſſe videtur, & in quibus omnibus licet quodcumque ei libitum fuerit. *Pater le Jeune Presbyter Oratorii*.

Quid ſentiendum ſit de ſolatiis generatim, quorum alia periculoſa ſunt, alia crimina vacua:

De ſolatiis generatim dici poteſt, alia eſſe periculoſa, & quæ ſaltem in ſcelus impellunt, ſi criminoſa non ſunt; alia vero crimine vacua, in quibus præter exceſſum nihil eſt, quod timeatur, atque damnetur. Quod pertinet ad illa, quæ ſunt criminoſa, cum omni tempore vetita ſint, facile eſt cognoſcere nullis umquam temporibus probari poſſe, quia omnino mala ſunt; & non magis tolerari poſſe, quam vitium ipſum, atque intemperantiam: ita ut præcepta, quibus prohibentur, obligent omni tempore, & in locis omnibus. Quoad alia, quæ periculoſa ſunt, videlicet, quæ nequeant abſolute vocari mala, ſi in natura ſua, atque inſtitutione ipſa conſiderentur, cujuſmodi ſunt quidam ludi, & alia ſimilia: ſed quæ in malum potius, quam in bonum impellunt, inferendum eſt, ſi unquam evitanda ſunt, hoc accidere iis præſertim temporibus, ubi nos omnia impellunt, omnia trahunt, quomodo accidit Bacchanaliorum tempore, quo omnia conſpirant, ut nos ad voluptates alliciant; quia hinc quidem numquam majorum criminum cauſa ſunt, inde vero hæc crimina numquam graviora ſunt, neque pernicioſiora. Nam ſicuti eo tempore fere univerſalis eſt intemperantia, fieri vix poſſet, ut illius labe non inquinaremur, ſi exemplum, & conſuetudinem ſecuti fuerimus, quam otioſitas, & morum corruptio invexerunt. Igitur ſerio conſideremus, ſi hæc ſolatia per ſe non ſunt omnino criminoſa, nobis tamen talia fieri, ex quo nos conjiciunt in eos exceſſus, a quibus noſmet tueri non poſſumus, & periculum, cui noſmet objicimus, proximum cenſetur, cum non deeſt probabilitatis ſpecies futurum, ut ad exceſſum aliquem perveniamus. Conſideremus ex eo conſilio, quod hujuſmodi in occaſionibus ſequemur, ſalutem, vel reprobationem noſtram fortaſſe pendere, ac tandem

Deum

Deum a fidelitate noſtra expectare, ut hoc tempore, quo magis a cultoribus ſuis deſeritur, & ab inimicis laceſſitur, conſtantius illis adhæreamus. Quamobrem Chriſtianus, qui Deum ſuum aliquo amore proſequitur, gloriæ ſibi vertere debet in hac potiſſimum occaſione hunc eidem teſtari, quod nonniſi acceptiſſimum eſſe poteſt divinæ majeſtati. *Auctor ſermonum in omnia argumenta &c.*

Ethnici quoque choream indignam cenſuerunt iis hominibus, qui nec de ſana mente dejecti, neque vino eſſent madidi. *Nemo enim*, Cicero ait, *ſaltat ſobrius, niſi inſanit*. Sed inde ſancti Patres deterrent fideles propter pericula Deum lædendi, quæ a ſaltationibus ſeparari non poſſunt. Has reſpiciunt tamquam opus Sathanæ, cui in baptiſmo nuntium miſimus, tamquam puritatis, pudoriſque ſcopulum, & tamquam pernicioſum inventum ad plurimas animi affectiones excitandas. Nam licet chorea fortaſſe non ſemper gignat eoſdem effectus in iis, qui illam depereunt, ſatis eſt, ut eos nonnumquam gignat, ut teneamur illam tamquam periculoſam peccati occaſionem evitare . . . Deus, S. Chryſoſtomus inquit, nequaquam aptavit nobis pedes in uſum adeo inutilem, inordinatumque adhibendos; ſed ut modeſte incedamus. Alibi dicit etiam, JESUS CHRISTUM non eſſe iis in locis, ubi profani muſices concentus locum habent. Qui gravi ſunt corde, & amant mendacium, inquiunt, quid mali eſt ſpiritum recreare, & oblectare? In quo peccant muſica, & ſaltatio? quam ob cauſam exclamatur: o pravas cogitationes, o inſanam dementiam! JESUS CHRISTUS non evocat peccatores ad lauta convivia, opiparaſque commeſſationes, ſed ad jejunia, vigilias, preces, non ad choreas profanoſque concentus, ſed ad ploratus tribulationes, anguſtias. *Le Tourneux anni Chriſtiani Tomo decimo.*

Mala, quæ in ludis accidunt.

Alea quam diligentiſſime fugienda eſt. Difficillimum eſt in ea ſervare modum. Seu lucrum feceris, ſeu jacturam, æque implicitus es; nonniſi per avaritiam, & quæſtum, qui pravus eſt finis, luditur. Adde jacturas, quæ vulgo fiunt, & quæ poſt ſe relinquunt acerbitatem, ægritudinem, deſperationem: adde dolos, injuſta lucra, iracundiam, rixas, ſacramenta, jurgia, quibus hæc ludorum genera plerumque repleta ſunt; adde immodicum temporis detrimentum, mentis, ac divitiarum diſſipationem, pravos habitus iracundiæ, impatientiæ, juramentorum, mendaciorum, avaritiæ, ac aliorum complurium effectuum, quos ludi producunt. Excidium pietatis, quod ſecum trahunt; inordinatum amorem aleæ in omne vitam permanentes, & perſæpe gignentem, ruinam bonorum, & honoris, & redigentem aleatores ad incitas, quod quotidianis ferme probatur experimentis. Adde tandem, quod hæc ludorum genera hominem cuicumque operi bono ineptum efficiunt: *Gobinet in juventutis eruditione.*

Ludi, qui hodierna eſt, non dicam, inutilis, ſed magna occupatio, ſed maximum; ac fere unicum quorumdam mortalium negotium, quæ conceptum habere debet fidelis? Illius cupiditatem habere debet tamquam aliquid turpe, præſertim vero propter ſordidam avaritiam, quæ eſt anima illius. Id quod eſſe debet honeſtæ, & aliquando neceſſariæ recreationis loco, & qui ubi ratio popoſcerit, tempore, ac loco vacari poteſt, convertitur in ſtudium, quod fatigat, & quod cupiditate animatum in furorem degenerat, ac fit inſania quædam valetudini, opibus, & ſæpe etiam morum probitati pernicioſa. *Auctor recens.*

Quot inanes cauſas prætexunt, qui aleæ ſe ſe mancipant.

Modicum ſolatium permiſſum eſt, fateor; at ſolatium putas, nil aliud cogitare? ab uno ad aliud migrare ſolatium, quin te ſtatus officia, domeſtica cura, modeſtiæque decus cohibeat? Solatium vocas periculoſiſſimis intereſſe ſpectaculis? diſſolutæ feſtivitatis licentiæ pudorem objicere? meras pietatis retinere ſpecies, ut te penitus ſine ulla religione abdas intemperantiæ ludorum: ac cœtuum? Solatium vocas, omnimoda mentis evagatione te in eum ſtatum adducere, ubi nequeas devotionis ſenſum alere, & ſalutari meditatione officia tua ponderare? quærere omnes delicias, & commoda carnis voluptuoſæ, ac fontis? inquietum vigilare, ne in ipſa langueas lætitia, quin unquam cor tuum erigas in Deum? Si hoc tibi ſolatium eſt, certus auctor tibi ſum, hoc, ex ipſius JESU CHRISTI ſententia, non eſſe, eſſe Chriſtianum. Non ſuſtines omnes labores, ac pœnas, quas divinus iſte legiſlator ſuſtinuit; hoc tibi concedit. Non omnes tibi, ut ille ſibi, voluptates interdicis; hoc tibi largitur. Sed quantumcumque temporis potes ſine modo, ſine metu, ſine pudore in gaudia impendere, hoc palam eſt illius legem violare. Non habebit ille te pro diſcipulo, donec mundi licentiam ſecutus in omnes te voluptates abdideris. *Pater la Pesse.*

SOLITUDO.

Receſſus a negotiis, & impedimentis ſæcularibus, ut ſalutis negotio vacetur. Solitudo interior, atque exterior.

MONITUM.

SOLITUDINIS, ac receſſus nomine hic non intelligitur integra mundi abrenunciatio, ut vel in deſertum, vel in aſceterium confugias, illic Deo uni, ac ſaluti tuæ vacaturus; ſed intelligitur a cujuſcumque negotiis, atque occupationibus ad tempus amotio, ut conſcientiæ tuæ negotio conſulas, & ad examen revoces, quomodo ad hanc uſque diem vixeris, atque vitæ in futurum ducendæ aliquod tibi veluti ſyſtema proponas. Cum ſanctarum harum ſolitudinum praxis nunc temporis in tota fere Gallia conſtituta ſit, & innumeræ propemodum ſint domus in hunc uſum deſtinatæ, hoc pluribus tum auctoribus locum præbuit methodos tradendi, juxta quas cum fructu ſervari poſſent, eaſque in lucem edendi cum concionatoribus hinc ſermonum ſuorum argumentum hauriendi, ut populo adeo utilem praxim commendarent, cujus fructum experientia ipſa palam oſtendit. Ut utrorumque zelo obſequamur, colligemus hoc in loco quidquid nacti ſumus magis ſolidum, aptumque ad fideles utriuſque ſexus, omniumque conditionum excitandos, ut morem hunc amplectantur.

Quemadmodum autem hujuſmodi receſſus pluribus fieri modis poſſunt, aliquando ſeorſim, & intra privatos parietes, aliquando vero in aliorum cœtu, qui ad hanc rem ſimul conveniunt ſub ſapientis directoris ductu, & conſilio, utrumque hunc modum complectemur ſub hoc generali receſſus, & ſolitudinis nomine, quæ propria eſt ſæcularium, ac diverſa a ſolitudine eorum, qui prorſus mundo abrenunciarunt, ut in religioſo ſtatu ſe Deo devoverent.

Cæterum cum hujuſmodi ſolitudines propriæ ſint non inſignium tantummodo peccatorum, quia validum ſunt converſionis adjumentum, verum etiam bonorum, ut magis magiſque in virtute; bonorumque operum praxi confirmentur, utriſque eas ſuggeremus rationes, quibus excitari poſſint, ut valido hoc utantur tum ad peccatum relinquendum, tum ad perſeverandum in virtute ſubſidio.

PARA-

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus argumenti ſtructura.

I. PRO argumento concionis de ſolitudine, in quam noſtræ ſalutis cura, & deſiderium perfectionis nos per intervalla conjicere debet, aſſumi poſſunt hæc tria puncta. 1. Cauſæ, quæ nos ad id debent impellere; & finis, quem in adeo ſancta exercitatione nobis proponere debemus. 2. Diſpoſitiones, quas afferre debemus, ut inde quam uberrimum fructum referamus. 3. Fructus, qui percipitur, cum munere hoc, uti oportet, perfungimur.

Punctum primum. Quod ſpectat ad finem hujus ſolitudinis, & cauſas, quas nobiſmet proponere debemus a ſæcularibus negotiis noſmet expedientes; quamquam nonniſi bonus finis haberi poſſe videatur in adeo ſancta exercitatione, hæc tamen potiſſimum nobis ſunt proponenda. 1. Ut mores, & vitæ rationem reformemus: tandem enim, ſi rite attendamus, fieri vix poteſt, ne qui terrenis negotiis impeditus eſt, plurima committat peccata, atque ſæpius non decidat; ne ſæcularium negotiorum impedimenta ſæpe oblivionem inducant ejus rei, quæ una omnium maxime intereſt, æternæ videlicet ſalutis; ne inutiles converſationes, colloquia, viſitationes illius mentem diſſipent, ac meliorem temporis partem auferant; ac tandem ne homo ſtatus, munerisque ſui officia negligat. Plurima igitur reformanda ſunt in vita, in actionibus, in regimine, & hic præcipuus eſt finis, quem nobiſmet proponere debemus in hac ſolitudine, & hoc primum illud eſt, quod ob oculos noſtros nobiſmet ſtatuere debemus. 2. Solitudinem ingredi opus eſt animo conſulendi conſcientiæ ſuæ, totam anteactæ vitæ rationem ad calculos revocandi cui rei ſolitudo nobis & commodum, & tempus conferet, quod difficile inveniri poſſet inter mundi rumores, & impedimenta negotiorum, quibus propter ipſam vitæ profeſſionem obruimur. Itaque hoc ſolitudinis tempus reſpicere debemus tamquam ſpatium quod eligimus, ut ea, quæ noſtra ſunt, cogitemus, poſtquam tamdiu aliena, familiæ, vel etiam reipublicæ negotia procuraverimus. Hoc tempus eſt, quo caute nobis utendum eſt, ut rationes noſtras inſtituamus, eaſque in promptu habeamus, ubi coram Deo eas reddituri vocabimur. 3. Illuc ingrediendum eſt, ut Dei voluntatem de ſtatu amplectendo agnoſcamus; vel ſi jam illud ſumus amplexi, ut diſcamus modum, quo nobis vivendum eſt eo in loco, ad quem ille nos vocavit, & in quo ejus providentia conſtituit. Conſtans quippe veritas eſt, in ſolitudinis quiete nos a Deo illuminari, a nobis vocem ejus audiri, ac intelligi, quid a nobis petat. Etenim quomodonam inter mundi ſtrepitus agnoſci poteſt voluntas Dei, quomodo illi reſpondere, illamque exequi poſſumus cum quidquid ſenſibus noſtris accidit, nos inde avertit? Quomodo illic ejus dogmata, exempla legeſque percipere, quibus unuſquiſque ſeſe ſubmittere gloriatur? Hæ proculdubio tres ſunt validæ cauſæ, quibus adigimur ad ſolitudinem, receſſumque inquirendum, ut pauliſper nobiſmet conſulamus, quod inter mundi tumultum, atque impedimentum fieri non poteſt.

Punctum alterum. Diſpoſitiones a nobis huic ſolitudini neceſſario afferendæ plures ſunt, ſed illas afferam, ſine quibus non poſſumus illum referre fructum, quem ſancta hæc praxis producere poteſt. 1. Ingens deſiderium proficiendi hoc tempore adeo pretioſo, atque ad ſalutem operandam, acquirendamque perfectionem neceſſario: deſiderium, quod cum ſtabili conjunctum eſſe debet confidentia futurum, ut Deus, qui nobis hanc mentem immiſit, & adeo præclaram obtulit occaſionem ex ſceleribus noſtris emergendi, atque ad ſanctitatem acquirendam adlaborandi, minime renuat eas gratias, quæ ad effectum hunc nobis ſunt neceſſariæ. Præterquamquod hoc deſiderium eſſe nequit, niſi apertiſſimum argumentum ſinceræ voluntatis, qua vult Deus noſtram converſionem, quandoquidem ipſe illud nobis inſpirat. 2. Spiritus docilis, qui decrevit pravæ educationis præjudicia relinquere, & qui paratus eſt, ut ſeſe dedat veritatibus, quas Deus oſtendet illi; quæ diſpoſitio prorſus eſt neceſſaria, quoniam ad tempus a mundo ſecedimus, ut abjiciamus errorem fallacium idearum, quas conceperamus de honoribus, voluptatibus, omnibuſque aliis bonis, quæ maximi in mundo æſtimantur. Sin autem præſto non ſumus aliis recipiendis ideis, atque exercendis illis inſtitutis, quæ magis vera, & ſalutaria cognoverimus, nequicquam in ſolitudinem confugiemus ea per otium meditaturi. Hoc eſt rebelles eſſe velle lumini, agnitam impugnare veritatem & inde egredi nocentiores, quoniam vellemus, vias ſalutis cognoſcere, quin eaſdem ſequendi animus eſſet.

Punctum tertium. Oſtendere fructum, qui ex hac ſolitudine percipi poteſt; hoc eſt, ſinceram perfectamque converſionem, vitæ rationem magis frugi, magiſque Chriſtiano dignam, intemeratam officiorum ſuorum obſervantiam, vitam ita exemplarem, & ſanctam, uti flagitioſa, & cum ſcandalo conjuncta fuit illa, quam ante duxeramus. Sermoni huic finis imponi poteſt fructu certo, manifeſto, & diuturna experientia confirmato, quem hujuſmodi receſſus in eccleſia pepererunt, & adhuc quotidie pariunt in iis qui, uti opus eſt, illis vacant.

II. Ad ſanctam inſtituendam ſolitudinem, atque bene utendum adeo præſtanti ſalutis noſtræ ſubſidio, quod cætera continet, conſiderandum eſt. 1. Nos eodem quam maxime indigere: etenim nonne verum eſt vitam noſtram non aliud eſſe, quam mentis evagationem? Semper foris ſumus errantes, nulla nobis devotio eſt, nullus fervor, & ſumma eorum, quæ ad ſalutem pertinent, negligentia. Ut autem tanto malo medeamur, nihil magis prodeſſe poteſt, quam ſerio noſtram vitæ rationem ad examen vocare. 2. Exercitia, quæ in ſancta hac ſolitudine fiunt, & quæ alibi nuſquam fieri poſſunt. Ibi enim oratio, ſpiritualis lectio, ſancta colloquia, ſilentium, meditatio, piæ collationes, & quidquid vel in religione maxime eſſentiale eſt, vel magis aptum ad cor movendum, ac nos ad pœnitentiam excitandos, locum habent; ita ut niſi his rebus omnibus convertimur, neſcio quid nos convertere valeat; hic enim locus eſt, hoc tempus, quo gratia vehementius agere conſuevit, & quo validiora nobis ad bene agendum ſuppetunt auxilia. 3. Fructus, quem inde percipimus, ubi ſanctæ huic ſolitudini, uti opus eſt, vacaverimus: etenim quænam ibi ſancta non concipiuntur conſilia? Inde poſt ſinceram, accuratamque peccatorum confeſſionem egrederis conſcientia quidem tranquilla, mente vero chriſtianis veritatibus, evangeliciſque præceptis imbuta, nec non ignito corde, novis viribus, ac recenti conſtantia, ut ſalutem tuam opereris, ac majori cum fidelitate omnibus ſtatus tui officiis perfungaris.

III. In ſolitudine, ac receſſu, quo noſmet recipere debemus, ut ſerio ſalutis noſtræ negotio conſulamus tria ſpectare debemus, quæ nobis aperiunt viam ad eum, quem ſperamus, fructum obtinendum.

Primo præteritum, ut ad examen revocemus, quomodo viximus, & medeamur malo, quod fecimus, ut conſcientiam noſtram in tuto conſtituamus.

Secundo futurum, ut rationem ineamus vitæ ſanctius, quam antea, ducendæ.

Tertio præſens, ut noſmet in eo collocemus ſtatu, in quo eſſe vellemus, cum prodibimus coram Deo, & ut ſerio vitam prorſus novam ducere incipiamus.

IV. 1. Solitudo omnes aufert obices, qui ſaluti noſtræ adverſantur. 2. Nobis omnia ſuppeditat ſubſidia, quibus eam facile operari poſſimus.

De ſolitudinis neceſſitate. Oſtendere poſſumus illam tribus hominum generibus eſſe neceſſariam.

V. 1. Peccatoribus, ut convertantur, quod facere nequeunt, niſi ad tempus a mundi rumore ſecedant; etenim pravum exemplum, humanus timor, cum ſimilibus ſuis converſatio invictum converſioni eorum obicem ſtatuit: 2. tepidis, & illis, qui oſcitanter agunt, ut priſtinum in Dei cultu fervorem recipiant: alioquin enim in periculo verſantur in omne nefas ruendi: 3. bonis, ac iis, qui virtutem profitentur ad reparanda mala, quæ mundi commercium eorum pietati potuit afflare, & ne ſervos ipſorum in pietatis exercitiis intepeſcat.

VI. 1. Receſſus, & ſolitudo innocentiæ perfugium eſt: per hanc enim recedimus a peccati occaſionibus, ab improborum, qui nos qua ſermonibus, qua exemplis in malum ſollicitant, ſocietatibus, ac tandem ab inſidiis omnibus, quibus mundus repletus eſt: *Totus mundus in maligno poſitus eſt*. 1. Joann. 5. 2. Origo eſt pacis, ac tranquillitatis ſpiritus; ibi

enim